*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 93-81213-23*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

# COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

SAVELSBERG, MARTIN J.

*TITLE:*

QUAESTIONES LEXI-
CALES DE RADICIBUS...

*PLACE:*

BEROLINI

*DATE:*

1841

Master Negative #

93-81213-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

**BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET**

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.24 Savelsberg, Martin Joseph. 1814-
Quaestiones lexicales de radicibus Graecis.
Berolini 1841. Nav. O. c.3, + 59 p.
Doctor's dissertation at Berlin university.
369427 No. 10 of a volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/26/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 10.

# QUAESTIONES LEXICALES DE RADICIBUS GRAECIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE II. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXLI H. I.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MARTINUS IOSEPHUS SAVELSBERG
AQUISGRANENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES TUEBUNTUR
G. Curtius, sem. phil. sod. ord.
Th. Arens, philol. stud.
R. Friederich, philol. Cand.

BEROLINI
TYPIS ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM.

MDCCCXLI.

VIRO NOBILISSIMO

SUMME REVERENDO

# EDUARDO A KROPIWNICKI

RERUM DIVINARUM MAGISTRO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

# PROOEMIUM.

Ad verborum vim interpretandam certe plurimum valet originatio. Igitur grammatici est, ad radices linguae penetrare, simulque mentis rationem investigare, qua illa, a syllabis nudis exorsa, tum additamentis et compositione adhibitis, animi affectus cogitationesque significet.

At saepe verborum aut formae aut significatus diversis linguae aetatibus magis mutantur, quam quorum origo facile agnosci queat. Verum enimvero

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.

Horat. ep. ad Pis. 60.

Itaque non est, cur in recentibus atque usitatissimis verborum significationibus haereamus, sed eas tamquam principales repetamus necesse est, in quibus ipsa verba nata sunt. Quo in negotio maxime adiuvamur linguarum cognatarum comparatione, quippe quae se invicem illustrent. Constat enim Europae linguas maximam partem eiusdem esse familiae atque Indicam antiquam. Certe ex quo Indicae literae in Europa coli coeptae sunt, grammatica in originibus versata maximos fructus percepit e comparatione complurium linguarum cognatarum, imprimis Sanscritae, Graecae atque Latinae. Omnium vero eiusmodi quaestionum fundamentum est Boppii gramma-

tica comparativa, quum principia, unde summus ille vir exorsus est, ita sint stabilita, atque doctrinae copia tanta, ut disciplinam illo opere condiderit praeceptis ordinatam simulque amplissimam. Quo praesidio adiutus, quia Graecae literae usque in deliciis mihi erant, radices Graecas elegi, in quarum formis genuinis ac significationibus primis propriisque constituendis elaborarem. Multas collatis radicibus Sanscritis iam Pottius, ingeniosissimus vir, recensuit in ,,quaestionibus etymologicis'', ubi multifariam de linguae Graecae grammatica observationes notavit ad profundiorem illius scientiam saluberrimas. Recens Benfeyus de radicibus Graecis Sanscritarum potissimum ratione habita librum conscripsit, qui vir doctissimus et ea, quae explorata erant, congessit, et acutissime in res maxime dubias inquisivit, quamquam incepti moles unius viri fere excedit vires. Quibus viris clarissimis hoc meum specimen non spero propterea ingratum fore, quod quum singulas modo radices tractem, ab eorum sententiis nonnunquam discedam, immo usui esse reputo, si quis universis disciplinae alicuius praeceptis non neglectis haec vel illa contentis viribus scrutetur. Utcunque vero lingua Sanscrita cognatis comparandis adhibetur, leges de flexione atque permutatione sonorum in qualibet lingua considerandae sunt, et primum est ad nostrum finem, ut de radicum formis agatur, quarum ratione demonstrata proxime de significationibus erit iudicandum.

---

# DE VERBO ἜΧΩ.

## 1. DE GENUINA RADICIS FORMA.

Constituendae radicis ab illa quaestione capiamus exordium, an verbum ἔχω digammate olim instructum fuerit. Buttmannus quum pleraque vocabula recenset, quae certissima digammatis vestigia exhibent, omittit ἔχω (1), attamen de adiectivis compositis in οὖχος et de productione brevis syllabae ante ἐχ bene argumentatur.

Nomina composita enim, vocali ο ligata, si altera pars a consona incipit, ut λογοποιός, φυσιολόγος, satis demonstrant in iis, quae illud ο etiam ante vocalem servarunt, hoc ipso loco olim digamma interfuisse, ut ἀγαθοϜεργός, ὀρθοϜεπής, μηνοϜειδής. Quae litera quum excidisset, duae vocales utrinque contrahi solebant, ut in κακοῦργος, χειρώναξ e χειρο et ἄναξ. Huc addit Buttmannus (Gr. Gr. ampl. II. p. 348.): „Dabei ist zu merken, dafs die (composita) von ἔχω alle auch diese Zusammenziehung haben, ῥαβδοῦχος, δαδοῦχος, ἑστιοῦχος von ἑστία, πολιοῦχος von πόλις, welches die Form ῥαβδόοχος, πολιόοχος voraussetzt, ob-

(1) Gr. Gr. ampl. I. §. 6. not. 6. Ubi quod de digammate doctrinam adhuc obscuram esse dicit, illustrasse eam moneo imprimis Giesium in libro de dialecto Aeolica p. 176. sqq. et Longardium dissertatione: Symbolae ad doctrinam de digammo Aeolica, Bonnae 1837.

gleich von ἔχω ein ehemaliges Digamma sonst nirgendher bekannt ist." Equidem postea notabo ex Homero locos, quibus ἔγχω a digammate incipere probatur, sed praefigendi augmenti ratio coniunctissima illi in compositis perspectae, ut εἶχον, si modo ponis dissolutum ἔεχον, ad ἐϜεχον referatur, ea inquam ratio plus efficere mihi videtur, quam quae tacita praetereat.

Primum quidem verba, quae a vocalibus α, ε, ο incipiunt, hisce legitime productis, id est, α et ε in η, ο in ω, augmentum involvunt (2). Deinde vero

(2) Sanscrito अ (*a*) respondere Graece α, ε, ο, et itidem producto आ (*ā*) hinc (ᾱ), η, ω concinere, Boppii est doctrina (Vergl. Gr. p. 4.), quae plurimum valet ad explicandum augmentum temporale. Neque enim cum Buttmanno (Gr. Gr. ampl. I. §. 84. not. 8. ed. 1.) syllabici ε et initialis verborum vocalis contractione illud explicaverim. Nam ipsae contractionis leges ei obsunt, quippe quibus εε et εο minime in η et ω, sed in ει potius et ου transire soleant. At vero productio vocalis quam coniunctissima est cum Sanscritae linguae ratione, qua अ (*a*) augmentum et अ initiale cuiuslibet radicis coalescunt in आ (*ā*). Etenim sicut Sanscritum अ Graece tripartitum comparet α, ε, ο, ita prorsus pro आ, ex अ et अ nato, et η productum simul ex α atque ε, et ω ex ο productum cernimus.

ऋर्ह् (*arh*). ऋद् (*ad*). ऋक् (*ak*) animadvertere, Rosen. rad. Scr. p. 78.

ἈΡΧ, ἄρχω. ἜΔ, ἔδω, *edo*. ὍΠ, unde fut. ὄψομαι. cf. Lat. *ecce*.

Cum augmento:

आर्हम् (*ārham*). आदम् (*ādam*). आके (*āké*). Rosen l. c.

ἦρχον. ἠδέσθην aor. 1. pass. ὦπται Aesch. Prom. 1000.

Quod ad radices attinet, vide Benfey, Griechisches Wurzellexikon, ἈΡΧ p. 112. ἜΔ p. 246. ὍΠ p. 228. Quum vero hic agatur de augmento verborum, quae a vocali incipiunt, laudo Kühneri explicationem (Gr. Gr. ampl. §. 99. 1.), augmentum temporale in vocalis illius geminatione consistere, ita tamen, ut geminae vocales in singulas longas conflentur. Cui non habeo quod addam, nisi quod ista augmenti ratio ad vetustissimam linguae aetatem pertinere videtur, ubi divortium populorum cognatorum forsitan nondum erat factum.



illis, quae augmentum syllabicum ε nec mutatum assumunt, ut ἔαξα, ἑάλων, digamma iam adiudicavit Buttmannus (Gr. Gr. ampl. I. p. 331 fin. 332. ed. 1.), ut eae radices sint ΦΑΓ, ΦΑΛ. Idem radicale digamma una cum reduplicatione Fε demonstravit in perfectis ἔαγα, ἑάλωκα, ut primitus fuerint FέFαγα, FεFάλωκα, valetque ea ratio etiam in ἔοικα, ἔολπα, ἔοργα, quae perfecta oriunda sunt a FέFοικα, FέFολπα, FέFοργα (3). Ergo secundum radicem FΕΡΓ derivati verbi ἐργάζομαι imperfectum εἰργαζόμην ex ἐεργαζόμην contractum esse post digamma elisum, statuamus necesse est. Atqui praeter ἔρπω et ἕπομαι, quorum imperfecta εἷρπον, εἱπόμην ex ἔσερπον, ἐσεπόμην explicanda sunt (4),

(3) Digamma ante ἔοικα restitui licet Il. A, 119. B, 190. et aliis locis permultis; ante ἔολπα Od. B, 275. Γ, 375. E, 379; ante ἔοργα Il. B, 272. Γ, 57. E, 175. Θ, 356. I, 320. II, 424.

(4) Nam spiritum asperum literae σ loco esse (cf. ὗς pro σῦς) comparatione radicum evincitur, quas communes inter se habent linguae cognatae: सृप् (*sṛip*), *SERP* (*serpo*), ἙΡΠ (ἕρπω); सच् (*sak'*), *SEQ* (*sequor*), ἙΠ (ἕπομαι). Hinc iam patet σ radicale in aoristo — σπέσθαι, σπόμενος — e syncope ΣΠ formato, itaque radix primitus fuit ΣΕΠ. Benfey, griech. Wurzellexikon p. 430.

Prorsus ab ea diversa est radix FΕΠ (ib. p. 431.), quam propter coniunctionem τεύχεα ἔπειν Il. Z, 321. cf. O, 555. cum ὅπλον connectere poterat Benfeyus p. 287., ubi cum digamma ex ἄσπλος explicavit, tum egregie Gothicum *vēpn*, et veterum Germanorum

reliqua verba, quae ε augmenti atque ε radicis in ει contrahunt, a digammate olim incepisse, argumenta satis sunt probando. De ἑλίσσω, ἑστιάω (cf. ἑστία, Lat. *Vesta*) perinde ac de ἐργάζομαι illud iam constat. Verbo ἐθίζω digamma vindicari debet propter verbi simplicis ἔθω perfectum ἔωθα, siquidem Heynius (5) hoc bene contulit ad ἔολπα. Quod quum sit ϜέϜολπα, etiam ϜέϜωθα tamquam antiquior forma supponi debet, etsi ea in initio digamma reduplicationis amisit post diphthongum correptam Il. Θ, 408 αἰεὶ γάρ μοι ἔϜωθεν. cf. ib. 422. Quoniam igitur Buttmannus (Lexil. I. p. 296.) allata ex Hesychio glossa εὐέϜωκεν (i. e. ἐϜέϜωκεν), εἴωθεν radicale digamma agnovit, non possumus non agnoscere reduplicationem Fε in ἔωθα. Atque adeo altera vulgaris forma εἴωθα ad ϜέϜωθα referri sic potest, ut primum digamma in ε vocalem dissolutum esse accipias, sicut Fέλπεται in ἐέλπεται, et deinde ἐέϜωθα in εἰϜωθα contractum (6).

*wāſan* adhibuit. Igitur ἔπειν per ἐνεργεῖν, πονεῖσθαι interpretantur Eustathius ad Il. ll. cc., Hesychius s. v. ἐπούσῃ, πονουμένῃ — ποιουμένῃ, s. v. Ἔπουσιν, ἐνεργοῦσιν, Etym. Magn. s. v. ἔπω — ἔπω, τὸ εὐτρεπίζω, ὡς τό Τὸν δ' εὗρ' ἐν θαλάμῳ περικαλλέα τεύχε' ἔποντα Il. Z, 321., quibus fabricari verum sensum esse colligimus. Latius vero patet radix Sanscrita वप् (*vap*), tondere, suere, texere, seminare, nimirum eadem in Graeca lingua trifida cernitur: ΓΕΠ (ἔπω), fabricari, ϒΦ (ὑφαίνω), texere, ΣΠ (σπείρω), seminare. Sed reapse duae posteriores formae ad primam tamquam syncopae ad radicem referuntur. De ϒΦ vide Benfey. p. 287., de ΣΠ syncope equidem infra p. 14. 15. disputabo.

(5) Excurs. III. ad Iliad. XIX. (tom. VII.) p. 739.

(6) Simili modo Benfeyus εἶπον vel potius Fεῖπον explicavit, Griech. Wurzellex. p. 336.



Ergo e Fεθ stirpe radicis FE (7) rursus ἐθίζω, atque εἴθιζον ex ἐϜέθιζον natum simul cognoscitur. Verbum ἐάω a digammate incipit Od. Δ, 805 οὐδὲ Fεῶσι. Σ, 420. Il. B, 165. X, 339. P, 16 τῷ με Fέα. Attamen Hesychii glossae: εὔα ..... ἔα et ἔβασον, ἔασον· Συρακούσιοι (cf. Suid. et Etym. M.), quibus ἔϜα et ἔϜασον indicari intelligimus, variam radicis formam sequuntur. Sed Homerica illa forma Fεα, (qua haud scio an non supplenda sit altera ἐϜα sc. FεϜα) augmenti rationem confirmat, etenim ex ἐϜέαον, eliso digammate ἐέαον, contractione evadit εἶων (8). Etiam ἑλεῖν digammate est instructum Il. E, 118., ἔλοιεν O, 71., et eiusdem radicis nomen ἕλωρ Il. E, 684. P, 667., ergo εἷλον natum ex ἔϜελον. De verbi ἕλκω sive ἑλκύω digammate singulare tantum indicium inveni Od. Λ, 580 Λητὼ γὰρ Fήλκησε, nimirum ab ἑλκέω, variat autem lectio εἴλκυσε ut Il. X, 62 ἑλκυσθείσας τε θύγατρας, ubi Wolfius ἑλκηθείσας cum optimis libris scripsit. Sed utravis lectio illic sit vera, communis radix FEΛK e producto γάρ cogitur, quare εἷλκον quoque ex ἔϜελκον est explicandum.

Quibus expositis ε augmentum in istis exemplis omnibus, ubi cum ε prima radicis vocali in ει con-

(7) Cf. Benfey. p. 373. Vide infra not. 30.

(8) Occurrit illi rationi Buttmannus, quum (Gr. Gr. ampl. II. p. 125.) verbi ἔργω digamma ex „augmento epico" ἔεργον, ἐέργνυ et praes. ἐέργω effici, ex analogia concludat (cf. II. p. 42. not. 23.). Quamobrem veram radicem FEPΓ, non, ut Benfeyo placuit, ad r. Scr. रक्ष् (*raksh*) (p. 110.), sed ad वृज् (*vrig*), relinquere, amovere, referendam esse assevero.

trahitur, vere est syllabicum, quum eiusmodi contractioni eae tantum radices sint obnoxiae, quae aut σ literam aut digamma in initio amiserunt (9). Itaque de verbo ἔχω disputantes cum digammatis argumento supra allato augmenti rationem coniungimus simulque εἶχον ex ἐϜεχον natum consequitur. Sed eo iam, unde huc digressi sumus, revertamur.

Praeter illud digammatis argumentum, quod Buttmannus e compositis adiectivis duxit, alterum inde affert (Gr. Gr. ampl. II. p. 355.), quod in συνεχὲς, συνεχέως prima syllaba apud Homerum semper est producta. At vero plura huiusmodi exempla apud eundem Homerum exstant, quibus videlicet ob syllabam brevem ante ἔχω productam, huic verbo digamma vindicatur. Il. B, 426 σπλάγχνα - ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο pro ὑπέρϜεχον, ut ἐννέπω pro ἐνϜέπω; E, 752. Θ, 396 κεντρηνεκέας Ϝέχον ἵππους; K, 264 Θαμέες Ϝέχον ἔνθα καὶ ἔνθα; Σ, 580 ταῦρον ἐρύγμηλον Ϝεχέτην; T, 49 ἔτι γὰρ Ϝέχον ἕλκεα λυγρά; X, 412 γέροντα μόγις Ϝέχον ἀσχαλόωντα; adde huc compositum Od. T, 113 Θάλασσα δὲ παρϜέχει ἰχθῦς; et adiectiva: Il. Z, 208. Λ, 784 ὑπείροχος pro ὑπέρϜοχος; A, 51 αὐτοῖσι βέλος Ϝεχεπευκές; Δ, 129 στᾶσα βέλος Ϝεχεπευκές. Atque hac digammatis vi perspecta etiam illis locis, ubi syllabae in longam vocalem desinentes simulque in arsi positae sequente vocali digamma non desiderant, neque tamen repudiant, id si sequitur ἔχω interponere licet. Etenim uti Od. Λ, 472 ὀλοφυρομένη Ϝέπεα; Il. Θ, 397 ἐπεὶ Ϝίδε legere convenit, ita legi par est Il. I, 2 Θεσπεσίη Ϝέχε φύζα; Z, 509. O, 266 κάρη Ϝέχει; Od. Ξ, 215 ἦ γάρ με δύη Ϝέχει; Ω, 245 κομιδὴ Ϝέχει.

Hiatus inter ἔχειν et antecedentem brevem syllabam invenitur Il. P, 354 ἀλλ' οὔπως ἔτι Ϝεῖχε, ubi digamma olim interpositum adeo augmentum anteit, quodgenus supra Ϝήλκησε. Praeterea de ἐάλων pro ἐᾶλων cf. Buttm. Gr. Gr. ampl. §. 84. not. 10.

Iam quum apud Homerum verbi ἔχω digamma satis eluceat, eam radicis formam excutiamus, unde Buttmannus exorsus est (Gr. Gr. ampl. §. 18. 5.): „Wurzel ϜΕΧ: Praes. ἔχω, Fut. ἕξω, Ableit. ἑκτικός, ὀχή," ubi animadvertit excidere radicis spiritum asperum, si aspirata proxima in deflectendis formis maneret, ut ἔχω pro ἔχω, idque exemplis munivit ὄφρα pro ὅφρα, ἐσθής pro ἑσθής, vicissim autem servari spiritum mutata aspirata, ut ἕξω (10).

(9) Similis in declinatione post elisas consonas contractio demonstratur grammatica comparativa:

| | | | |
|---|---|---|---|
| thema: | दुर्मनस् (*durmanas*) | ΔΥΣΜΕΝΕΣ | cf. *DEGENES* |
| nom. pl. | दुर्मनसस् (*durmanasas*) | (δυσμενέσες) δυσμενέες δυσμενεῖς | *degeneres* pro *degeneses* |
| thema: | गुरु (*guru*) | ΒΑΡΥ | *GRAVI* |
| nom. pl. | गुरवस् (*guravas*) | (βαρέϜες) βαρέες βαρεῖς. | *graves* |

(10) Buttmannus omnem istam rationem ex lege de permutandis aspiratis explicavit, quam tamen Boppius, summus vir, valde labefactavit (Vergl. Gram. p. 103. 104.), quum merito refutaret radices ab aspirata incipientes simulque in aspiratam desinentes, quales

Sed quoniam Giesius (Aeol. Dial. p. 245.) ex Boeckhii Corp. Inscr. Gr. Vol. I. n. 139. l. 6. attulit ΑΤΡΟΝ:ΗΕΧΟΝ (i. e. ἕχον), idemque in *ἀφηλπισμένῳ* apud Gruterum, Inscr. p. LXXI. l. 7. aspirationem e radicis digammate explicavit (Aeol. Dial. p. 405.), pariter ϝΕΧ et ϝΕΛΠ ad FEX et FEΛΠ radices, Homero comprobatas, referre debebat, velut ϝΕΣ (ἕννυμι) ad FEΣ refertur p. 278. At vero Giesius radicem ΣΕΧ propter syncopen ΣΧ (ἔσχον, σχές) constituit, et ab ea potius asperi in ϝΕΧ spiritus defensionem quaesivit. Atque adeo Benfeyus eum secutus est quamquam haesitans (Griechisches Wurzellexikon p. 357.). Quin Boppius, summus vir, in nota gram. compar. p. 639. inquirendi viam indicans, aut *vah* et *sah* contineri variis verbi ἔχω formis, aut a σέχω ordiendum esse coniecit. Atqui animadvertas, quam circumspecte progressus sit grammaticae comparativae fundator, ut qui in contextu et in tabulis annexis ad ἔχω semper वह् (*vah*) et *veho* conferret, et in ipsa nota primum de digammate quaestionem proponeret (11). Quae quum in superioribus iam sit absoluta, nunc quaeramus de ΣΧ syncope aliquid uberius.

---

Buttmannus assumpsit ΘΡΕΦ, ΘΡΙΧ (Gr. Gr. ampl. I. p. 78.). Attamen his radicem ϝΕΧ non esse aequiparandam censeo, quoniam spiritum asperum tamquam digammatis vestigium probari posse confido.

(11) Vergl. Gram. p. 639: „Wenn ὄχος für Fόχος mit ἔχω verwandt ist, so steht auch ἔχω für Fέχω und gehört zu *vahami* und *veho*." Vide infra p. 20.



Quum in Etym. Magn. s. v. σχές huic conferri σπές invenirem, et aequalem utriusque syncopae ΣΧ et ΣΠ in deflectendo rationem persequerer, mire concinere videbam σχεῖν (ἐνι)σπεῖν, σχών (ἐνι)σπών, σχήσω (ἐνι)σπήσω, ἄσχετος ἄσπετος. Est autem ἐνισπεῖν aoristus profectus ab ἐννέπω pro ἐνϝέπω (12). Quodsi huius verbi radix FEΠ constat, elisa autem vocali FΠ syncope proxima est, ea profecto est syncope, quae, quum ori Graeco obstreperet, illam ΣΠ in ἐνισπεῖν, digammate in σ literam commutato, habuit sibi subsequentem. At enimvero non possumus, quin idem FEX radici contigisse statuamus, ut FX syncope propter repugnantiam literarum in ΣΧ commutata sit. Nam quod Buttmannus Gr. Gr. ampl. II. p. 129. s. v. ἔπω spiritum asperum in ἕπω atque ἔχω transiisse in σ literam censet, id inverti maximopere debet. Tantum enim abest, ut spiritus asper in σ literam transierit, ut natus sit potius ex ea, quae res ipso exemplo ἕπεσθαι, sequi, confirmatur (13). Attamen hoc minime cadit in illas ΣΧ et ΣΠ syncopas, quippe quarum radices digammate sint instructae. Ad rem autem ut redeam, e ΣΧ syncope et reduplicatione verbum ἴσχω natum esse apparet. At reduplicatio non est integra, qualem tamen exempla exhibent: γίγνομαι (a rad. ϝΕΝ), μίμνω (ΜΕΝ),

---

(12) Ἐν praepositio et antiquior forma ἐνί similiter vices alternant in ἐμπρήθω, fut. ἐνιπρήσω (Hom.).

(13) Vide not. 4. Cf. सूकर: (*sûkara-s*), *sus*, σῦς, ὗς. Benfey griech. Wurzell. p. 412.

πίπτω (ΠΕΤ), verum quoniam ante radices, quae a σ incipiunt, reduplicatio suum σ in spiritum asperum commutatum habet, ut ἵστημι pro σίστημι, ἕστηκα pro σέστηκα, et olim ἕσταλμαι pro σέσταλμαι (14), certe in ἴσχω, dummodo σ sit litera radicalis, spiritus asper desideratur. Buttmanni explicatio, hunc propter sequentem aspiratam in spiritum lenem transiisse (Gr. Gr. ampl. II. p. 142.), non sufficit, cum quia proxima syllaba ab aspirata non incipit — sic enim separandae sunt syllabae ἰ-σχω, minime vero ἴσ-χω —, tum quia in σχέθω, ἐ-σχέ-θην aspiratarum altera in alteram vim habet omnino nullam. Contra ea veram reduplicationem olim fuisse Fι, et ex Homero Il. E, 90 οὔτ' ἄρα Fέρκεα Fίσχει, et ex Hesychianis intelligitur glossis: Βισχύν, ἰσχύν et Γισχύν, ἰσχύν, quarum utraque una certe Fισχύν designatur. Iam vero pertinere ἰσχύν ad FEX radicem, declarant adiectiva synonyma ἐχῦρός, ὀχῦρός, ἰσχῦρός (15), quae notione vel tenendi vel vehendi ita connectuntur, ut singula firmam validamque conditionem indicent; ergo ἰσχύς est robur (16). Quodsi et in ἴσχω, et in ἰσχύς reduplicatio digammate aliquando erat instructa, radix

(14) Vulgo quidem ἕσταλμαι, sed Giesius p. 405. ex inscriptione attulit ἀφεσταλμένων, unde collegit ἕσταλμαι verae reduplicationis indicium facere.

(15) Producta vocalis υ huius est propria, qua quidem non magis differt ab ὀχυρός, quam νοσηρός a νοσερός.

(16) Quae quum omnia tam inter se connexa et apta appareant, Benfeyo assentiri non possum, qui Fισχύς nomen e Fις et σχε compositum esse coniecit (Griech. Wurzellex. p. 295.).



ipsa sive syncope ab ea litera inceperit necesse est, itaque FίFχω et FιFχύς supponenda sunt pro vetustiore linguae aetate. Quae si quispiam barbare sonare dicat, ipsam repugnantiam literarum in causa fuisse repeto, quod pronunciatio expeditior e FX syncope ΣX fingeret perinde atque ΣΠ ex illa FΠ syncope radicis FΕΠ.

Haec duo exempla insuper tertio comprobantur, in σπείρω nimirum latere dico radicem Sanscritam वप् (*vap*), seminare. Iam primum verba σπείρω et φθείρω in deflectendis formis plane inter se congruunt, ut σπερῶ φθερῶ, ἔσπορα ἔφθορα, σπαρτός φθαρτός, σπορά φθορά cet., omnino vero σπερ et φθερ stirpibus utuntur. Quarum radices ut eruamus, observandum erit, annexa syllaba ερ et alias stirpes evadere, ut ἀγερ (ἀγείρω) a rad. ΑΓ, οἰκτερ (οἰκτείρω) a themate οἰκτ. Iam vero perspicuum est, verbum φθείρω cum φθίω, unde rursus φθίνω et φθινύθω, a communi radice esse profectum, quae in duabus primis literis latet instar syncopae, nimirum ΠΑΘ (17).

(17) Quae quidem radix propter ipsa additamenta ερ et ι sua vocali destituta promte correpta est in syncopen ΦΘ eamque lege mutatam e ΠΘ (Superest ΑΠΘΙΤΟΣ pro ἄφθιτος in inscriptione Boeckh. Corp. I. I. n. 1.). Si vero ΠΑΘ radicem statuimus, eique Sanscritam बध् (*badh*), necare, conferimus, de illius significatione dicamus, magnopere necesse est. Ut anticipemus verba e syncope profecta, primum φθίω et φθείρω idem quod बध् (*badh*) denotant, nempe necare, perimere, perdere, deinde φθίνω ab Homero intransitive, perdi, perire, φθινύθω autem et transitive et intransitive adhibetur. At vis radicis ΠΑΘ (πάσχω pro πάθχω velut

Quodsi ita e σπερ stirpe ΣΠ syncopen repetis, huic autem confers radicem Sanscritam वप् (*vap*), seminare, apte syncopae illius e ΦΑΠ radice ortus explicatur adhibito digammatis in σ literam transitu post elisam vocalem ([18]). Tum autem exstat ΥΦ syncope eiusdem radicis ΦΑΠ, denotatque texere (ὑφαίνω), et seminare, plane ut r. Scr. वप् (*vap*). Enimvero a seminando Sanscrite corpus vocatur वपुस् n. (*vapus*), satum scilicet vel procreatum, atque etiam concinit Hesychii glossa: ὑφή, σῶμα. De eodem genere est,

---

αἶσχος pro αἶδχος a rad. ΑΙΔ.) longius recedit ab interficiendi notione, immo passiva est: pati, malo affici, tum in universum aliqua re affici. Nihilominus variae significationes verborum, quae, quod ad formas spectat, inter se connexa apparent, bene consociari possunt, praesertim quum radix Scr. adaucta बाध् (*bâdh*), unde Pottius comparationis exordium capit (Etym. Forsch. I. p. 251.), latius pateat: perturbare, vexare. Igitur tali notioni passiva illa radici ΠΑΘ subiecta aeque respondet atque radicis ΘΑΝ (ἔθανον) moriendi significatio illi interficiendi, quam habet radix हन् (*han*).

Benfeyus, qui bene contulit radices क्षि (*kshi*) et ΨΙ, occidere, laedere (griech. Wurzellex. p. 173), quippe quae literarum responsio confirmetur exemplo क्षपा (*kshapâ*), caligo, ψέφος, nox, non item ad rad. क्षि (*kshi*) stirpem φθι p. 178, neque ad r. क्षर् (*kshar*) stirpem φθερ p. 202. trahere debebat. Nam variae coniecturae, quomodo φθ e ψ nasci potuerint, in lubrico versantur, quum altera dialecti Doricae manco indicio utatur, altera de eliso σ et inserto θ satis habeat artificiosi.

([18]) Benfeyus p. 578. σπείρω cum vocabulo Germanico *spreu* et Latino *spargo* confundit, sed illud altius repetere debebat, hoc vero ad radicem Sanscritam refertur a σπερ stirpe prorsus alienam, siquidem Boppius (Vokalismus p. 271.) स्पृ (*spṛiç*) ad Lat. *spargo* bene contulit.



quod pater vocatur sator Scr. वप्तृ (*vaptṛi*), Graece ἀπφῦς Theocr. Id. XV. 13-15. (pro Fαπφῦς([19])), deinde ἄπφα (pro Fάπφα) apud Suidam, qui interpretatur ἀδελφῆς καὶ ἀδελφοῦ ὑποκόρισμα (cf. Eustath. ad Il. E. p. 565. Hesych. s. v. ἀπφία), verisimiliter significat patris segetem translate. Notissima vero est verbi σπείρω translata eiusmodi significatio, ut et de hac parte varias communis radicis formas liceat coniungere. Iamque radices, de quibus adhuc disputavimus ad probandum digammatis in σ literam transitum, cum syncopis conspectui praebemus in tabula.

| Radices. | | Syncopae. | (Bopp. gr. Scr. min. §. 414.) |
|---|---|---|---|
| वच् (*vak'*) | वाक् (*vák*) | उच् (*uk'*) | |
| ΦΕΠ | Fόψ | | ΣΠ, ἐνι-σπεῖν |
| *VOC* | *vox* | | |
| वप् (*vap*) | वप्तृ (*vaptṛi*) | उप् (*up*) | |
| ΦΑΠ | Fαπφῦς | | ΣΠ, σπείρω |
| ΦΕΠ | Fόπλον | ΥΦ, ὑφαίνω | |
| वह् (*vah*) | वहामि (*vahámi*) | उह् (*uh*) | |
| ΦΕΧ | Fέχω | | ΣΧ, σχεῖν |
| *VEH* | *veho* | | |

---

([19]) Quod literarum responsionem attinet, ne offendat aspirata pro tenui, habes enim eiusmodi exempla: ὄφις a rad. ΟΠ(*), βλέφαρον a rad. ΒΛΕΠ, παννύχως a them. ΝΥΚ, alia. De litera geminata autem confer ὄπφις et σκύπφος Eustath. ad Il. M. 208. p. 900, ὄκχος Pind. Ol. VI. 24. Denique digamma vel e sola lingua cognata addi licet ceteris explicatis.

(*) Quae originatio iam ab Etym. Magn. bene est prolata, insuper δράκων et δορκάς a rad. ΔΕΡΚ.

Quodsi disputationis summam comprehendimus, ΣΧ syncope vel maxime confirmandae FEX radici est, neque iam ullae formae obiiciuntur, quae ad eam radicem reduci non queant. Terminationes et affixa syncopae proxime annectuntur, si a vocali incipiunt; ἔσχον (term. ον), σχοίην (t. οίην), σχών (t. ών), ἰσχαίνω (aff. αν), σχάζω (aff. αδ), sin a consona, vocalis interseritur: σχές pro σχέθι (term. θι); ita a σχε proficiscuntur pf. ἔσχηκα, fut. σχήσω, nomen σχῆμα et verbum deriv. σχέθω.

### 2. DE PRIMA VERBI (F)ἔχω SIGNIFICATIONE.

Verbi ἔχω significationem maxime flexibilem et commutabilem universus usus in literis Graecis satis demonstrat. Sed quoniam radix FEX cum cognatis वह् (*vah*), *VEH* (*veho*) ad formam congruit, quumque duae posteriores parem communemque inter se habeant significationem, eamque admodum distinctam, nec radix Graeca consensum prorsus abneget, spero fore ut comparatione instituta, verbi ἔχω multifariae significationes ad rationem ordinemque revocentur. Maxime vero praeter cognatas linguas ipsa antiquissima Graecae linguae monumenta vias dant ad primae significationis scientiam.

§. 1. Iam primum lingua Latina equi *vehere* dicuntur vel homines vel currus, ut modo portare sit sensus, modo trahere, quemadmodum etiam Festus verbum *vehere* interpretatur. Concinit lingua Sanscrita radice वह् (*vah*), vehere, et nomina वह: m.



(*vaha-s*), वाह: m. (*váha-s*), वाहनं n. (*váhana-m*) singula omne *vehiculum*, quo quis vehitur, denotant, currum, atque ipsum equum. Graece eadem significatione relicta sunt nomina ὁ ὄχος, vehiculum ([20]), et τὰ ὄχεα, plurale tantum, ([21]) currus, simulque verbum ὀχεῖν, vehere, ὀχεῖσθαι igitur vehi. Quae significatio quum omnino sit confirmata, factum tamen est, ut iam veteres interpretes alienam verbo ὀχεῖσθαι attribuerent loco fere singulari Il. K, 403, nisi quod P, 77 eadem verba repetuntur; quare propiora videamus. Sermo est de Achillis equis:

οἱ δ' ἀλεγεινοὶ
ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι ἠδ' ὀχέεσθαι,
ἄλλῳ γ' ἢ Ἀχιλῆϊ.

Cum Hesychio, qui ὀχέεσθαι, haud dubie hunc locum spectans, interpretatur ἡνιοχεῖσθαι, facit Eustathius. Is enim ὀχέεσθαι passive dictum esse pro ἡνιοχεῖσθαι diserte statuit, attamen quum illis versibus laudem tribui equis animadvertens Bucephalae meminerit: ὥς που καὶ ὁ Βουκεφάλας Ἀλέξανδρον μόνον ἤθελε φέρειν ἔποχον, hocce exemplum ad verum sensum magis quadrat, quam interpretatio illa diversa. At error interpretum una cum eo natus est, δαμήμεναι esse infinitivum aoristi secundi passivi ([22]), quum

([20]) Pind. Ol. VI. 24 ὄκχος, currus; Aesch. Suppl. 32 ὄχος, navis.

([21]) Apud Homerum; ceterum etiam ὄχοι in hymn. Hom. in Cer. 19. unus est currus. Ex Hesychio s. v. ἔχεσφιν, ἅρμασιν ἢ μᾶλλον ὄχεσφιν supponi licet τὰ ἔχεα, currus.

([22]) Qui semper est δαμῆναι apud Homerum.

Hesychius ὑποταχθῆναι, Eustathius et Paraphrastes Iliadis (K, 403) δαμασθῆναι interpretentur. Est vero δαμήμεναι infinitivus praesentis activi a δαμάω, veluti γοήμεναι Il. Ξ, 502. a γοάω, φορήμεναι O, 310. a φορέω, φιλήμεναι X, 265. a φιλέω, τιθήμεναι Ψ, 83. a τίθημι, rad. ΘΕ, πεινήμεναι Od. Υ, 137. a πεινάω, et talis infinitivus supra est suo loco. Enimvero ea Graecae linguae nota est ratio, ut finem alicuius rei indicans, velut ῥᾴδιόν ἐστι τὸν λόγον κατανοῆσαι, adiectivis nominum genus masculinum aut femininum designare malit, quam neutrum admittere, quare illa sententia sic informatur: ῥᾴδιός ἐστιν ὁ λόγος κατανοῆσαι. Deinde id quoque proprium est linguae Graecae, ut adiectiva, apta ad finem indicandum, cum infinitivo coniungantur aut activae, aut mediae formae, nunquam passivae ([23]). Hesiod. Op. 759. 760:

φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται, κούφη μὲν ἀεῖραι
ῥεῖα μαλ', ἀργαλέη δὲ φέρειν, χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι.

Il. M, 63 ἡ δὲ μάλ' ἀργαλέη περάαν. sc. τάφρος.
Σ, 258 τόφρα δὲ ῥηΐτεροι πολεμίζειν ἦσαν Ἀχαιοί.

Qua lege perspecta facile agnoscimus infinitivos activos Il. Υ, 265. 266:

ὡς οὐ ῥηΐδι' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα
ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι οὐδ' ὑποείκειν.

,,quam non facilia sunt deorum inclyta dona viris mortalibus domitu ac ne evitatu quidem". Notari meretur attractio, quum δῶρα, quae vox ad δαμήμεναι refertur, ad ὑποείκειν in dativum conversa mente

([23]) Cf. Kühner, Gr. Gr. ampl. §. 640. not. 3.



debeat supponi, ut ita sensum accipias, οὐδὲ ῥᾴδιόν ἐστιν αὐτοῖς ὑποείκειν. Aequalis ratio inest verbis supra allatis: ἵπποι ἀλεγεινοὶ δαμήμεναι ἠδ' ὀχέεσθαι, quae vulgari sermone sic sunt interpretanda: ἀλεγεινόν ἐστι (τοὺς) ἵππους δαμᾶν καὶ αὐτοῖς ὀχέεσθαι. Heynius locum nostrum ita convertit: ,,Atque hi difficiles sunt viris mortalibus domitu et equitatu alii utique quam Achilli" neque ita longe aberrat, quamquam et ipse P, 77 vertens ,,ad domandum et regendum" ad veterum interpretamenta relabitur. Certe ὀχέεσθαι in universum vehi denotat, ut Il. Ω, 731 νηυσὶν ὀχήσονται; Od. E, 54 ὀχήσατο κύμασιν; hymn. Hom. in Ven. 218 ἵπποισιν ὀχεῖτο; sed quoniam apud poetam ἱππῆες currui equis iuncto insistunt, neque ipsis equis insident, ad verbi ὀχέεσθαι significationem illis locis Il. K, 403. P, 77. maxime Germanicum *fahren* quadrat, quare in vernaculam linguam convertere cogor:
Es ist beschwerlich sterblichen Männern, jene Pferde zu bändigen und sich von ihnen fahren zu lassen. Similiter ἐποχεῖσθαι significat curru bigarum vehi Il. P, 448, ubi equis, Patrocli aurigae mortem dolentibus, animum recreat Iuppiter eos alloquendo, atque inter alia haec effatur:

ἀλλ' οὐ μὰν ὑμῖν γε καὶ ἅρμασι δαιδαλέοισιν
Ἕκτωρ Πριαμίδης ἐποχήσεται. Cf. K, 330.

Verum enimvero ex verbi derivati ὀχέω vehendi significatione, atque e nominum ὄχος, ὄχεα (etiam ἔχεσφιν ap. Hesych. ([21])) consensu concludimus, ipsam radicem FEX, sive ut vulgo dicunt verbum ἔχω, eadem

vehendi significatione olim adhibitum fuisse. Immo occurrit etiam eo sensu in hymno Hom. in Martem v. 6-8:

ἠνορέης σκηπτοῦχε, πυραυγέα κύκλον ἑλίσσων
αἰθέρος ἑπταπόροις ἐνὶ τείρεσιν, ἔνθα σε πῶλοι
ζαφλεγέες τριτάτης ὑπὲρ ἄντυγος αἰὲν ἔχουσιν.

Vehunt nimirum equi fervidi Martem currui insistentem ([24]). Qui locus in mentem revocat Horatii carmen III, 3:

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili iugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit.

Concinit igitur radix FEX cum Latina *VEH* et Sanscrita वह् (*vah*), Nal. XIX. 16 वक्ष्यन्तीमे हया मम, vehent hi equi mei; ib. 25 दृष्ट्वा तान् अश्वान् वहतो, contuitus hos equos vehentes.

Nunc quoniam in radice tribus linguis cognatis communi praevalet vehendi significatio, eam Graeco verbo primitus infuisse sequitur, tum vero ἔχω et ὄχος aptissime inter se cohaerent ([25]). Plerumque

([24]) Cf. Matthiae, Animadvv. in hymnos Homericos, p. 428: „ἑπταπόροις ἐνὶ τείρεσιν, inter septem errantia sidera, Planetas, ut vertit Ernesti. Idem τριτάτης ὑπὲρ ἄντυγος etc. interpretatur: tertio loco inter planetas equi te vehunt, nempe initio numerandi facto a Saturno."

([25]) De qua re dubitavit Pottius, Etymol. Forsch. tom. I. p. 283. s. rad. *vah*. Recens Benfeyus quoque ὄχος ab ἔχειν separavit Griech. Wurzellex. p. 351. 357. Contra ea Etymol. Magn. non multum abest a vero: Ὄχος σημαίνει τὸ ἅρμα, καὶ γίνεται ἐκ τοῦ



ἕλκειν, trahere, verbi ἔχειν, vehere, vice fungitur, ut ἅρματα ἕλκειν hymn. Hom. in Apoll. 232., sed ambo occurrunt tamquam synonyma Il. Σ, 579-81:

σμερδαλέω δὲ λέοντε δύ' ἐν πρώτῃσι βόεσσιν
ταῦρον ἐρύγμηλον Fεχέτην· ὁ δὲ μακρὰ μεμυκὼς
ἕλκετο.

Hisce tautologia inest, at nobis, ob id quod inde efficitur, haud molesta. Duo leones inter primas boves taurum vehebant gemitus edentem, isque alte mugiens trahebatur. Sane si ambigui aliquid insit prioribus, finitur et circumscribitur additamento.

§. 2. Ad hanc commentationem allegare iuvat lexicographos Graecos auctoritate pollentes. Egregie enim a prima verbi ἔχω significatione exorsus est Etymologici Magni auctor: Ἔχω σημαίνει ἐκτώ· τὸ πλησιάζω, τὸ βαστάζω, Τόξον ὤμοισιν ἔχων· τὸ κρατῶ, Ἀλλ' οὐ καὶ Ἀγαμέμνονα ὕπνος ἔχε γλυκύς· τὸ οἰκῶ, Θεοὶ Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες· τὸ ἐλαύνω, Τὼ δὲ διὰ Σκαιῶν πεδίονδ' ἔχον ὠκέας ἵππους rel. Quod igitur Etymologus τὸ πλησιάζω in fronte collocavit, optimo id quidem iure fecit. Nam appropinquandi notione involvuntur et illa trahendi et proxima portandi notio, quarum utraque etiam Sanscrite atque Latine communi illa radice redditur. Quibus efficitur, ut vera radicis vis et ipsa vehendi notio sit: loco movere aliquid, sive trahendo id fit, sive portando.

ἔχω τὸ ἐλαύνω· ἐξ αὐτοῦ ῥῆμα ὀχῶ ὀχήσω, ὅθεν ὄνομα ῥηματικὸν ὄχημα, σημαίνει δὲ τὸ ἅρμα. Omnino vero firma est Boppii coniectura, vid. not. 11.

Deinde Hesychius, grammaticus antiquior, portandi notionem potissimum agnoscit s. v. ἔχων, φέρων, οἰκῶν, κατέχων, et s. v. Ἔχει, quamquam ordinem haud ita curans: Ἔχει, κατέχει, κρατεῖ, νέμεται, διείργει, τημελεῖ, ἀξιοῖ, βαστάζει, φέρει, ὑπομένει. Atque etiam Buttmannus (Lexil. I. p. 289.) ἔχω idem valere dicit atque φέρω (26).

Et profecto portandi sive gestandi verbi ἔχω significatio apud Homerum latissime patet, praecipue in coniungendis τεύχεα, σάκος, ἀσπίδα, τόξον, δόρυ, σκῆπτρον, neque variat sensus a φέρειν τεύχεα, σάκος, ἀσπίδα, τόξον al. Omnino ἔχω et φέρω tamquam synonyma apud Homerum alternas vices explent, ut Od. N, 66-69 de ancillis, quae Ulyssi dona afferunt:

Ἀρήτη δ' ἄρα οἱ δμωὰς ἅμ' ἔπεμπε γυναῖκας·
τὴν μὲν φᾶρος ἔχουσαν ἐϋπλυνὲς ἠδὲ χιτῶνα,
τὴν δ' ἑτέρην χηλὸν πυκινὴν ἅμ' ἔπεμπε κομίζειν·
ἡ δ' ἄλλη σῖτόν τ' ἔφερεν καὶ οἶνον ἐρυθρόν.

Poëta hic tribus synonymis ἔχω, κομίζω, φέρω unam gestandi notionem reddidit. Atqui de maximo onere sustinendo ἔχειν adhibetur Od. A, 52-54:

Ἄτλαντος δυσφρονος, ὅστε θαλάσσης
πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν.

Item Hesiod. Theog. v. 517:

Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης.

(26) An ἐνεγκεῖν, ὄγκος ad radicem FEX pertineant, de eo nihildum asseveraverim.



Sustinet coeli columnas (27), estque, ut Senecae verbis utar,

Atlas stelligeri vector Olympi. Herc. Oet. 1907.

Iam vero Eustathius ad Od. A, 54. haec annotavit: Ὅτι ἐν τῷ γαῖαν καὶ οὐρανὸν ἔχουσιν, ἐλλέλειπται ἡ ἀνὰ πρόθεσις· ἔστι γὰρ ἀντὶ τοῦ ἀνέχουσι καὶ ἀναβαστάζουσι· πολλαχοῦ δὲ τοιαῦτα ποιεῖ Ὅμηρος, ὡς καὶ ἐν Ἰλιάδι φαίνεται. Laudo hanc observationem, minime vero rationem, qua eam illi magis quam antecedenti versui adhibuit commentator. Ἔχω ibi (v. 54.) arctissime cum ἀμφὶς est coniungendum, et ita significat: separatim tenere, distinere, secundum Buttmannum (Lexil. tom. II. p. 219.). Attamen valet Eustathii animadversio Od. Γ, 486. de equis:

Οἱ δὲ πανημέριοι σεῖον ζυγὸν ἀμφὶς ἔχοντες.

i. e. iugum utrinque ferentes, quamvis idem hoc loco nihil moneat.

Atque etiam apud Herodotum ad eandem portandi sive gestandi notionem refertur γυνὴ ἔχουσα V. 41. mulier gravida, et magis expleta oratione ἔχουσα ἐν γαστρί III. 32., in utero gestans sc. partum (Plin. N. H. VIII. 10.); nulla vero reticentia confirmat illud Homerus Il. Z, 58 ὄντινα γαστέρι μήτηρ — φέροι.

Nomina a radice FEX cum portandi notione profecta maxime haec sunt. Ὄχανον, ὀχάνη, ὄχμα, ὀχμή

(27) Quod Aeschylus in Prometheo bis de Atlante fabulam inserens singularem columnam commemorat, nihil facit ad rem, sustinendi autem notionem reddit verbo ἐρείδειν, 349. 350 (ed. Wellauer.)

Ἕστηκε κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
Ὤμοις ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον. Cf. 426-28.

singulatim: manubrium tamquam instrumentum ad portandum, ἔχμα, fulcimen ([28]), ὀχλεύς, vectis ([29]). Deinde addita θ litera radici, nomina et verba existunt, primum servato antiquiore α, ἄχθος (pro Fάχθος), onus, ἄχθομαι, oneror, deinde hacce notione translata in odium ἔχθος, ἔχθομαι ([30]), tum quae ex

([28]) Ἔχματα νηῶν, ἐρείσματα πρὸς τὸ μὴ ἔνθα καὶ ἔνθα κλίνεσθαι. Schol. in Iliad. (Ξ,410.) ed. Bekker.

([29]) Μοχλός, vectis, ad radicem Fεχ non pertinere (Pott. Et. F. I. p.223.), sed magis Latino *moles* conferri posse videtur. Equidem vocabula μόγος, μογερός, μόγις, μόχθος, μοχλός, ad radicem Sanscritam मह् (*mah*) referri dixerim, a συμυγερός alienam. Pottius ipse, qui id in dubium vocat, acute animadvertit (Et. F. I. p.283. s. rad. *mah*): Die verwandten Lat. Wörter: *môles*, *môliri*, *môles-to* (vgl. μάλα, μόλις, die auch eine Gutt. vor λ eingebüfst haben) zeigen indefs die Möglichkeit eines Überganges der Begriffe vom Grofsen zum Mühseligen. De elisa gutturali confer *môles*, μοχλός, cum *aranea*, ἀράχνη, *lana*, λάχνη. Pott. Et. F. II. p.285.

([30]) De verbi unaque nominis significatione agam infra p.29. Litera θ saepius radicibus addita derivationi inservit: μόχθος, ὁ, moles, cum μόγος eiusdem est radicis MEΓ, vid. not. 29.; γνάθος, ἡ, idem quod γένυς, Scr. हनु: (*hanu-s*), gena; praecipue ad neutra formanda: ἄνθος, ab ʾAN radice, Scr. अन् (*an*), spirare, cf. ἄνεμος, अनिल: (*anila-s*), quae originatio eo confirmatur, quod flos a flando vocatus est itemque ἄωτος, primitus ἄFωτος, ab AFE radice, unde ἄFημι, ἀFήτης (Hom.), Scr. वा (*vâ*), flare, वात: (*vâta-s*), ventus; — Fέσθος Il. Ω,94. vestis, a FEΣ rad. (ἕννυμι), illuc rursus refertur ἐσθημένος, vestitus. Herod. VI, 112. — Fέθος a FE radice, cuius ratio nobis amplius est reddenda. Digamma ἔθος nominis cum ex εἴωθα (vide supra p.6.), tum ex ἦθος synonymo (Od. Ξ,411 κατὰ Fήθεα) colligitur, quum et hoc consuetudinem potissimum significet, unde συνηθής, consuetus. Lingua Latina constanter servavit *SVE* radicem in *sueo* (*suemus* Lucret.), *suevi*, *suetum*; at Graeca initio vocum nonnunquam σ literae iacturam fecit,

| | | | |
|---|---|---|---|
| स्वादु: (*svâdu-s*) | *suavis* | Fηδύς Hom. | ἡδύς vulgo. |
| स्वशुर: (*svaçura-s*) | *socer* | Fεκυρός | ἑκυρός |
| स्व: (*sva-s*) | *suus* | Fεός | ὅς. |

Ad स्व (*sva*) vero non solum *sueo*, sed etiam *soleo* pertinet, nam hocce similiter est derivatum atque molior, moles, cf. μοχλός; *so* autem pro स्व identidem apparet in sonus स्वन: (*svana-s*), soror स्वसृ (*svasri*), somnus स्वप्न: (*svapna-s*), socer स्वशुर: (*svaçura-s*). Lassen, Anthol. Scr. p.353. Quodsi Fέθος et Fῆθος e FE radice superstite antiquioris ΣFE, et addito derivativo θ explicamus, etiam notionis convenientia in ista radice *SVE* linguis cognatis communi aptissime intelligitur, quum *suescere*, *solere* significet agere id, quod quis sui proprium habet.

([31]) Quod ad ἔχθος ut ἐθίζω ad ἔθος refertur.

([32]) Verba sunt Eustathii: ἐκ μεταφορᾶς ἀχθοφορικῆς εἴρηται.



inscriptione Cretensi Buttmannus attulit (Lexil. I. p.124.), ὑπεχθέσιμα, merces subvectae, ὑπέχθηται, subvehat, et quod nova rursus formatione ex ἐχθ existit, ἐχθίζω, ([31]) praepositione ἐπί compositum, apud Hesychium: ἐπεχθισμένου, βάρος βαστάζοντος, augmento neglecto velut in ἄμμαι, ἔργασμαι. V. Buttm. Gr. Gr. ampl. §.84. not.6.

§.3. Translate ferendi notio cum dolore, labore, aerumna coniungitur. Ita enim intelligendam esse Homeri locutionem: ἔχω πόνον, ὀϊζύν, κακὸν μόρον, documenta sunt quam plurima. Etenim si legimus Od. H, 211:

οὕστινας ὑμεῖς ἴστε μάλιστ' ὀχέοντας ὀϊζύν,

dictum per metaphoram ab onere portando desumtam ([32]), et apud Pindarum Ol. II. 67 τοὶ δ' ἀπρος-

ὁρατον ὀκχέοντι πόνον (33), monemur, quoniam ἔχειν vere denotet portare, etiam in Od. Θ, 529 πόνον τ' ἐχέμεν καὶ ὀϊζύν metaphoram admitti. Et id quam maxime confirmatur inspecto loco Od. Λ, 618 sqq., ubi Herculis umbra apud inferos hisce alloquitur Ulyssem:

Ἦ δειλ', ἦ τινὰ καὶ σὺ κακὸν μόρον ἡγηλάζεις,
ὅνπερ ἐγὼν ὀχέεσκον ὑπ' αὐγὰς Ἠελίοιο.
Ζηνὸς μὲν παῖς ἦα Κρονίονος, αὐτὰρ ὀϊζὺν
εἶχον ἀπειρεσίην.

Verba ἡγηλάζειν et ὀχεῖν idem significare monet Eustathius (34), nimirum ferre, sed procul dubio concinit sensu etiam ἔχειν. Si enim ferre malam fortunam dicere licet, eaque vis verbo ὀχέω augetur, sane tantus moeror, quem immensum (ἀπειρεσίην) vocet poeta, verbum cooptat haud infractae, sed validae significationis, praesertim quum ferre moerorem Homeri locutioni maxime conveniat. Enimvero haud ita raro Homerus labores hominum, malam fortunam, mentis caecitatem, similesque conditiones oneris imagine describit, ut Il. Ε, 354 ἀχθομένην ὀδύνῃσι, 361 λίην ἄχθομαι ἕλκος; nam ἄχθεσθαι proprie significat onerari, deinde moleste ferre; adde huc

(33) Cf. Pyth. II. 79., ubi ἐχοίσας restituit Boeckhius e libris plurimis pro ὀχοίσας, qui tamen utrumque verbum idem valere ait, nimirum πόνον ἐχοίσας σκευᾶς, laborem ferentis retis.

(34) Καὶ ἐστὶ τὸ κακὸν μόρον ἡγηλάζειν, ἤγουν ἄγειν, καὶ κακὸν μόρον ὀχεῖν, ἀντὶ τοῦ φέρειν, ταὐτόσημα. In ἡγηλάζειν consentiunt Hesychius et Suidas, ille ἡγηλάζειν, ἄγειν, ἐλαύνειν, alter ἡγηλάζω, ἄγω, φέρω.



Λ, 274. 400. ἤχθετο γὰρ κῆρ, moleste enim tulit animo; Ν, 352 ἤχθετο γάρ ῥα

Τρωσὶν δαμναμένους, Διὶ δὲ κρατερῶς ἐνεμέσσα.

Aperte videre est oneris indicium Ζ, 357 οἷσιν ἐπὶ Ζεὺς θῆκε κακὸν μόρον, quibus Iuppiter imposuit malam fortunam; et vel maxime Od. Φ, 302 ἤϊεν ἣν ἄτην ὀχέων ἀεσίφρονι θυμῷ, abiit (Centaurus) noxium suum errorem ferens perturbato animo; etenim ἄτη appellatur βαρεία Il. Β, 111. (35) Od. Ο, 233 ἄτης τε βαρείης

τήν οἱ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ δυσπλῆτις Ἐριννύς.

In eodem dicendi genere versatur verbum ἔχω, translata a portando significatione aequans Latinum sustineo, qua ratione aliquis verbi causa labores sustinere sive ferre dicitur, nimirum invitus, velut Od. Σ, 135 καὶ τὰ φέρει ἀεκαζόμενος sc. λυγρά, id quod iam exemplis magis illustrabo. Primum χρειὼ — οὐκέτ' ἀνεκτός Il. Κ, 118. Λ, 610. significat necessitatem non iam sustinendam; adde huc ἔργα — οὐκέτ' ἀνεκτά Il. Α, 573. φεύγων, ἐπεὶ οὐκέτ' ἀνεκτὰ πέλονται Od. Υ, 223. Est autem ἀνεκτός profectum a verbo ἀνέχω, sursum fero, tollo, sustineo (vide infra p. 40.), aptissimeque cum ἔχω significationem communicat Od. Υ, 83:

ἀλλὰ τὸ μὲν καὶ ἀνεκτὸν ἔχει κακόν, ὁππότε κέν τις cet.

Sed malum sustinet, et id sustinendum quidem, is

(35) Quem locum Eustathius bene explicat: Τὸ δὲ, ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ, ἀστείως τέτραπται, ὡς ἀπὸ δεσμοῦ βαρύνοντός τινα καὶ μὴ ἐῶντος προκόπτειν ἐφ' οἷς χρή. εἰ γὰρ καὶ τῇ μυθικῇ Ἄτῃ ἀπαλοὶ οἱ πόδες (Il. Τ, 92.), ἀλλὰ ἡ ἀληθὴς βαρύνειν οἶδε.

qui cet. Nunc quia itidem ex eodem radicis usu ἄσχετος pro οὐκ ἀνεκτός occurrit Il. Π, 549 πένθος ἄσχετον, moeror non sustinendus (36), et in hisce metaphora Il. Ζ, 77 Αἰνεία τε καὶ Ἕκτορ· ἐπεὶ πόνος ὔμμι μάλιστα Τρώων καὶ Λυκίων ἐγκέκλιται ,,vobis maxime inter Troianos et Lycios labor incumbit", et ceteroquin metaphora illa laboribus qualibuscunque sustinendis adhibita satis liquet, certe in omne huiusmodi dicendi genus valet verbi ἔχω translata sustinendi significatio: ἔχειν ἄλγεα, ἄχεα, γῆρας λυγρόν (Od. Ω, 250.), ὀϊζύν, πένθος, πόνον, denique κακόν in universum Il. Ο, 109, ubi Iuno deos hortatur:

τῷ Fέχεθ', ὅττι κεν ὔμμι κακὸν πέμπῃσιν ἑκάστῳ.

Propterea sustinete malum quodcunque vobis mittit singulis (Iuppiter). Quin ὕβριν ἔχειν (Od. A, 368. al.) iniuriam sustinere significat (cf. Lat. crimen sustinere), tamquam iniuria, qua quis alios afficiat, ei ipsi sit oneri, qua de re laudo Hesiodum Op. 212-214:

ὕβρις γάρ τε κακὴ δειλῷ βροτῷ· οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς
ῥηϊδίως φερέμεν δύναται, βαρύθει δέ θ' ὑπ' αὐτῆς
ἐγκύρσας ἄτῃσιν.

Item in ἕλκος ἔχειν (Il. Τ, 49 ἔτι γὰρ Fέχον ἕλκεα λυγρά) ,,vulnus sustinere" verum esse sensum, cum e simillima locutione ἄχθομαι ἕλκος Il. Ε, 361., oneror vulnere, tum e Glauci querela colligimus Π, 517: ἕλκος μὲν γὰρ ἔχω τόδε καρτερόν, ut quod ipse re vera

(36) Moerorem autem cum onere comparat Pindarus Ol. II, 23. πένθος δὲ πίτνει βαρύ.



cum onere comparet 519: βαρύθει δέ μοι ὦμος ὑπ' αὐτοῦ. Latius etiam patet oneris imago, ut Od. A, 297 νηπιάας ὀχέειν significet animum puerilem ferre, eoque quasi onerari. Adnumeres simillimum verbi ὀχεῖν usum apud Aeschylum φρουρὰν ἄζηλον ὀχήσω Prom. 143. et vicissim retractes Homericum φυλακὰς ἔχειν Il. I, 1. quo utrobique, secundum notionem identidem probatam, sensum accipias, custodiam sustinere. Quam sustinendi notionem ne ab αἰτίαν ἔχειν quidem esse alienam, immo aptissimam, universum dicendi genus declarat, quo nos quoque vernacula lingua utimur. Ea enim concinit verbis et re, non solum quod attinet ad αἰτίαν ἔχειν τινός, von etwas die Schuld tragen, Aesch. Eum. 549. (37), verum etiam alias die Schuld auf sich nehmen, Eurip. Electr. 1275. 76. Λοξίας γὰρ αἰτίαν εἰς αὐτὸν οἴσει, atque die Schuld auf Jemand werfen Herod. VI. 30. ἀπῆκε τ' ἂν αὐτῷ τὴν αἰτίην. Neque id mirum, quum ultro menti obversetur culpae molestia tamquam onus quoddam.

Denique ex hac notione explicanda esse censeo vocabula ἔχθος, ἔχθομαι, ἐχθρός. Iam Buttmanno quidem placuit, ea ad molesti notionem referre (Lex. I. p. 124.), neque tamen Hesychii glossam ἔχθοι, ἔξω, tanti facere debebat, ut eo abiret coniecturae, tamquam ἐχθρός primum exterus, deinde hostis exstitisset. Quum enim ἐχθρός nomen sit derivatum at-

(37) Ed. K. O. Müller., quem et ipsum ita convertisse vides, cf. v. 99.

que cum ἔχθος, ἔχθομαι connectatur ἐχθ stirpe, ab his certe proficiscendum erit, praesertim quum ἔχθος vocis apud Hesychium interpretatio, πόνος, μῖσος notionis convenientiam satius declaret. Verbi autem passivi ἔχθομαί τινι (Od. Δ, 502. 756.) ea potest ratio reddi, ut quemadmodum ὀχέω ad ἔχω, sic ad ἔχθω referatur ὀχθέω, ideo quum ὀχθῆσαί τινα denotet moleste ferre aliquem (cf. Buttm. Lexil. I. p. 123.), passiva sit notio in ἔχθομαί τινι proprie: moleste feror, oneri sum alicui, deinde alicui invisus sum. Quodsi ἔχθος propter Hesychii interpretamentum πόνος molestiam significat, eaque quae eiusdem sunt stirpis verba habent aliquam talem significationem, nihil iam contrarium est rationi, qua ἐχθρόν inimicum tamquam molestum hominem explicamus. Qua re luculenter concinit sermo Sanscritus, etenim वाह्य: (*váhya-s*) proprie vehendus, translate contemtus, vilis (Man. X, 29-31. 39. 62.), certo significat hominem perferendum, molestum.

Itaque non minus e translata sustinendi, perferendique quam e propria portandi atque trahendi significationibus primaria vis vehendi in verbo ἔχειν intelligi debet.

§. 4. Porro sermonis Graeci propria quidem est verbi ἔχω propellendi significatio, sed connexa manifesto cum notione amovendi, ut naves et equi, qui vehendo ab hominibus loco non moventur, ab iis propelli dicantur. Enimvero compositio νέας ἔχειν et ἵππους ἔχειν apud Homerum valet idem atque νέας ἐλαύνειν, ἵππους ἐλαύνειν, quare non satis accurate Passovio (s. v. ἔχω) est explicatum dirigere, quasi ἔχειν sit ἰθύνειν Il. Θ, 110., verumtamen praepositiones directionis gratia adduntur: Od. Λ, 70 νῆσον ἐς Αἰαίην σχήσεις εὐεργέα νῆα. Od. Κ, 91 e contextu intelligis: naves in portum inducere,

ἔνθ' οἵγ' εἴσω πάντες ἔχον νέας ἀμφιελίσσας.
οἱ μὲν ἄρ' ἔντοσθεν λιμένος κοίλοιο δέδεντο cet.

Il. Μ, 62 διὰ τάφρον ἐλαύνομεν ὠκέας ἵππους
Od. Μ, 276 ἀλλὰ παρὲξ τὴν νῆσον ἐλαύνετε νῆα μελαίναν.

Et itidem coniunguntur ἔχειν ἰθύς τινος:

Herod. VI, 95 ἔχον τὰς νέας ἰθὺ τοῦ Ἑλλησπόντου
Il. Λ, 289 ἰθὺς ἐλαύνετε μώνυχας ἵππους
ἰφθίμων Δαναῶν.

Adde Od. Ο, 503 Ὑμεῖς μὲν νῦν ἄστυδ' ἐλαύνετε νῆα μελαίναν.
Il. Γ, 263 τὼ δὲ διὰ Σκαιῶν πεδίον δ' ἔχον ὠκέας ἵππους.

Etiam omisso ἵππους verbo, quod tamen cogitatione est supplendum, posita vides ἔχειν Od. Γ, 182. ἐλάαν Δ, 2. Ergo quum in hoc dicendi genere ἔχειν et ἐλαύνειν sint synonyma, illudque etiam veteres per ἐλαύνειν interpretentur (Hesych. s. v. ἔχον, Eustath. ad Od. Γ, 182. Il. Ε, 829.), non iam ambigi potest sensus propellendi.

§. 5. Omnium vero notionum verbo ἔχω redditarum nulla tam longe a primaria recedere videtur, quam ea, ut ἔχειν γυναῖκα idem valeat atque γαμεῖν γυναῖκα, uxorem ducere, v. c. Herod. III, 31 τότε μὲν δὴ ὁ Καμβύσης ἔγημε τὴν ἐρωμένην· μετὰ μέν τοι οὐ πολλὸν χρόνον ἔσχε ἄλλην ἀδελφεήν. Cf. Etymol. Gud. s. v. ἔχω. Neque apud interpretes ullam probabilem explicationem repperi, neque ex auctoribus ipsis

ratio repeti potest. At vero huic loco occurrit sermo Sanscritus, qui simillimo radicis वह् (*vah*) usu suppeditat magnam ad explicationem copiam. Quocirca primum mihi videtur ab eodem usu exordienda disputatio. Radix वह् (*vah*) igitur plerumque praepositione उत् (*ut*) praefixa de nuptiis usurpatur, उद्वहति स्त्रियम् (*udvahati striyam*) Man. III. 10. 15., uxorem ducit, vel potius educit; ea enim verbi propria est vis. Locutio autem est elliptica, quae si cogitationem verbis explemus, eum morem significat, quo quis sponsam e domo eius paterna ducit in suam, quod et ipsi Latini saepe expresserunt: uxorem ducere domum, nos vero: eine Braut heimführen. Neque solum उद्वाह: (*udvâha-s*), eductio, verum etiam विवाह: (*viváha-s*), diductio, vulgo nuptias denotat Ramay. I. 73, 11. 35 (ed. A. G. a Schlegel.). Porro adducendo, आवह् (*ávah*), eas significari videmus Man. IX. 194. Ibi inter sex dona sponsae largienda recensetur primum quidem अध्यग्नि (*adhyagni*), donum in igne nuptiali (cf. III. 67 वैवाहिके ऽग्नौ (*vaivâhikê 'gnau*)), secundum autem अध्यावाहनिकं (*adhyávâhanika-m*), donum in adducenda sponsa ([38]), certe non diversum ab औद्वाहिकं (*audvâhika-m*) IX, 206. Quae omnia quum praepositionibus significationem dent, sponsam educi et aliquo adduci, in sponsi domum scilicet, etiam radix simplex वह् (*vah*) eodem sensu occurrit Man. IX. 94 त्रिंशद्वर्षो वहेत् कन्यां हृद्यां

([38]) Sir Will. Jonesius convertit: on bridal procession. Propria quidem vocabuli आवाहनिक (*ávâhanika*) vis est: advecticius.



द्वादशवार्षिकीम्, Triginta annorum vir uxorem ducat puellam caram duodecim annos natam. VIII. 204:

अन्यां चेदर्शयित्वा ऽन्या वोढुः कन्या प्रदीयते ।
उभे ते एकशुल्केन वहेदित्यब्रवीन्मनुः ॥ २०४ ॥

Si alia virgine ostensa alia sponso datur,
Ambas has uno pretio uxores ducat, ita locutus est Manus.

In priore huius hemistichii versu sponsus dictus est वोढृ (*vôḍ'hṛi*) cf. IX. 173., quod vocabulum proprie valet: vector, etiam ductor ([39]). In universum igitur radicis वह् (*vah*) significatio uxorem ducendi ad ipsam ducendi notionem refertur.

Iam vero Graecus sermo concinit verbis et re, quocirca imprimis locum illum ex Odyssea afferam, ubi Alcinous deos invocans simul Ulyssem hisce alloquitur H, 311-14:

αἲ γὰρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,
τοῖος ἐὼν, οἷός ἐσσι, τά τε φρονέων, ἅ,τ' ἐγώ περ,
παῖδά τ' ἐμὴν ἐχέμεν, καὶ ἐμὸς γαμβρὸς καλέεσθαι,
αὖθι μένων· οἶκον δέ τ' ἐγὼ καὶ κτήματα δοίην.

Notari meretur, postrema verba ad Ulyssis egestatem referri, qui non, ut virum deceat, in suam domum suasque possessiones introducere possit sponsam, eamque ob causam Alcinous rebus hospitis nondum cognitis se ipsum illa daturum dicit. Sed compositio ἔχειν γυναῖκα, etsi per se ad ducendi notionem aliquantum inclinat, propius tamen eo acce-

([39]) Wilsonius in lexico Sanscr. s.v. a porter, a bearer — a guide, a leader.

dit, quia congruit cum ἄγεσθαι γυναῖκα Od. Z, 28. Haec verba autem satis superque liquent versu Hesiodi Op. 693: Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ Fοῖκον ἄγεσθαι. Cf. Il. I, 146. Itaque commune linguis cognatis est dicendi genus स्त्रियम् वहति (*striyam vahati*), γυναῖκα (F)έχει, uxorem ducit sc. domum, quamquam vulgo de propria significatione, de ducendo nimirum, non ita stricte cogitatum esse probabile est.

§. 6. Translata significatio excitandi, ut καναχήν, ὠδῖνας ἔχειν, fragorem, dolores excitare, cum primaria notione admodum arcte cohaeret. Notat enim ἔχειν ita coniunctum quodammodo afferre, adducere, habetque verbum ἐλαύνειν, quod eius synonymum iam supra (§. 4.) cognovimus, hoc sensu quoque sibi respondens, etsi singulariter tantum Il. A, 575 κολωὸν ἐλαύνειν, tumultum excitare. Igitur Il. Π, 105 πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε (cf. ib. 794.), fragorem excitare, Σ, 495 αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον, clamorem excitare, verus est sensus, Passovio ipsi probatus. Idem quum Ilithyiae ὠδῖνας ἔχειν Il. Λ, 271 dicuntur, bene interpretatur: dolores excitare, nec vero alia interpretatio, cohibere scilicet, vel adeo lenire dolores, ullo modo admitti potest. At Passovius tamen μογοστόκος, quo praedicato Ilithyia gaudet apud Homerum, sic explicans: Den Gebärenden helfend, nimis aberrat a vero, quum istud adiectivum compositum nihil auxilii contineat. Immo vero μόγος idem valet atque πόνος Il. Δ, 27 ([40]), et quod ab eadem ra-

([40]) Cf. Etym. Magn. s. vv. μόγος et μόγις.



dice ΜΕΓ profectum est, verbum μογέω ([41]) laborare atque fatigari denotat Il. Λ, 636., estque μογεῖν τι, ut ἀέθλους Od. Δ, 170., fere Latinum moliri rem. Quodsi Apollonius Sophista interpretatur μογοστόκος, ἡ μογοῦσα περὶ τοὺς τόκους, priori certe compositi parti adiudicanda est verbalis notio, quemadmodum in φερέσβιος, φερέγγυος, φιλότιμος, sed malim interpretari μογοῦσα τὸν τόκον, quae magno cum labore partum efficit, eumque doloribus efficit. Quin dolores ipsi sunt dea personata, ex physica ratione Εἰλείθυια sive Ἐλευθώ ([42]) appellata, i.e. adveniens, utrumvis nomen autem dolorum, qui existunt ad partum, adventum designat. Quodsi Iuno Alcmenae doloribus finem imponit Ilithyias amovens Il. T, 119:

Ἀλκμήνης ἀνέπαυστε τόκον, σχέθε δ' Εἰλειθυίας.

rectissime ad hunc locum notat Scholiastes (ed. Bekker): Εἰλειθυίας, ὠδῖνας κατὰ μετωνυμίαν, ὡς Ἄρης ὁ σίδηρος καὶ τὸ πῦρ Ἥφαιστος. Quemadmodum autem Homero parum constans est numerus dearum partes ethicas agentium, ut modo Μοῦσα, Μοῖρα, Χάρις, modo Μοῦσαι, Μοῖραι, Χάριτες appareant, ita et plures Ilithyiae inducuntur, iterumque Il. Λ, 269-72:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα
δριμύ, τό τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι,
Ἥρης θυγατέρες, πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι·
ὣς ὀξεῖ' ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρεΐδαο.

([41]) Ut φόρος, φορέω ad rad. ΦΕΡ, ita μόγος, μογέω ad rad. ΜΕΓ referri par est.

([42]) Pind. Ol. VI. 42.

Ilithyiae acutum simulque acerbum telum in feminam parturientem coniiciunt, eoque quod ad imaginem terribilem augendam concertant epitheta μογοστόκοι atque πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι, deae laboriosi partus, acerbos dolores excitantes, naturam suam satis manifeste a poeta habent impertitam (43). Porro quia Iuno matrimonii est tutrix, nimirum γαμήλιος, intima inter eam et Ilithyias ratio intercedit, concinneque Ἥρης θυγατέρες vocantur partus comites. Poëtae Homero multo posteriores Ilithyiam obstetricem induxere, sed nimirum dea a doloribus μογοστόκος appellata, postmodo boni eventus causa πραΰμητις (44), lenis (45) advocata, eandem sortem est experta, quam Ἐρινύες faustum nomen consecutae Εὐμενίδες.

Quoniam igitur verborum ὠδῖνας ἔχειν dolores afferendi significatio erat in animo poëtae, neque absona est eiusdem locutio: ἦρα φέρειν τινί et ἐπί τινι, morem gerere alicui (46), vel potius gratiam afferre alicui, plane de eodem genere est, quod Aeschylus dicit in Choephoris 236:

ὦ τερπνὸν ὄμμα τέσσαρας μοίρας ἔχον
ἐμοί· προσαυδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον —

(43) De minitabundae Ilithyiae indiciis egregie disputavit Boettigerus in libello de Ilithyia p. 23. 24.

(44) Pind. Ol. VI. 42. Significanter Parcis assidet Ilithyia Nem. VII. 1.

(45) Ovid. amor. II. el. 13, 21. Horat. carm. saec. 14.

(46) Buttm. Lexil. I. p. 150.



„quatuor vices praestans mihi" (47), cui loco Stanleius in commentario bene contulit Prom. 291:

Οὔκ ἐστιν ὅτῳ μείζονα μοῖραν
Νείμαιμ' ἢ σοί.

Pariter Sanscrite adhibetur वह् (*vah*):
ग्रमा सते वहसि भूरि वामम्. Rosen, Rig-Ved. p. 8. l. 6. „prope versanti affers multas opes." denotatque plane i. q. ग्रावह् (*ávah*), advehere ib. l. 2., et ग्राभृ (*ábhṛi*), afferre, p. 12. l. 3. Adde Bhag. Git. IX. 22. (ed. A. G. a Schlegel)

तेषां नित्याभियुक्तानां योगक्षेमं वहाम्यहम् ॥

„hisce semper intentis securitatem boni eventus ego praebeo." (48)

§. 7. Quum verbum ἔχω, interdum nomina in casus non inclinans, praepositionibus εἰς, πρός, ἐπί (τι) iunctum occurrit, vulgo interpretantur vergere, tendere, pertinere aliquo. Quae interpretatio quamquam Latino sermoni bene est accommodata, id tamen monendum est, ex Graecae linguae indole ducendi notionem etiam in illa locutione praevalere. Veluti nos vernacula lingua loquimur: Der Weg führt zum Thore, zum Flusse, item ἔχειν adhibetur directionem motumque significans, qua in re Herodoto potissimum utar auctore I, 180: τὸ δὲ ἄστυ αὐτὸ (ἤ

(47) De repetitione verbi ἔχον vide Wellauer ad h. l. Nimirum in alterutro versu variat sensus clausulae ἔχον, valet enim ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον i. q. ἀναγκαίως ἔχει.

(48) Perperam convertit Rosenius (Radices Sanscritae p. 368): „devotionis perseverantiam sustineo". Loquitur enim Brahma, वहामि autem coniungendum est cum तेषाम्, genitivo commodi.

Βαβυλὼν) — κατατέτμηται τὰς ὁδοὺς ἰθείας, τάς τε ἄλλας καὶ τὰς ἐπικαρσίας τὰς ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἔχουσας. κατὰ δὴ ὧν ἑκάστην ὁδὸν ἐν τῇ αἱμασιῇ τῇ παρὰ τὸν ποταμὸν πυλίδες ἐπήεσαν, ὅσαιπερ αἱ λαῦραι, τοσαῦται ἀριθμόν. ἦσαν δὲ καὶ αὗται χάλκεαι, φέρουσαι καὶ αὐταὶ ἐς αὐτὸν τὸν ποταμόν. Ad vias transversas ad fluvium ducentes — ut Latine converti licet — refertur enuntiatio: portulas et ipsas ad ipsum fluvium ducere, sed viae adeo potiore iure aliquo ducere dicuntur, tantum quod synonymum φέρειν verbi ἔχειν vim non auget. Proxime similem huiusce verbi usum expediamus ib. c. 181. καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πύργῳ ἄλλος πύργος ἐπιβέβηκε, καὶ ἕτερος μάλα ἐπὶ τούτῳ, μέχρις οὗ ὀκτὼ πύργων. ἀνάβασις δὲ ἐς αὐτοὺς ἔξωθεν κύκλῳ περὶ πάντας τοὺς πύργους ἔχουσα πεποίηται. Hoc loco ἔχειν Latine converti *tendere* nequaquam licet, quia cum κύκλῳ coniungitur. Nam res tendere aliquo non nisi linea recta dicitur per metaphoram ab arcu desumtam, quum arcum tendenti simul scopus obversetur, quo illum dirigat. Non magis vergere, se inclinare per orbem (κύκλῳ) dici par est, quin contradictio in adiecto, ut dicunt, oriatur. Sola ea relinquitur interpretatio, ut hic quoque verbo ἔχειν ducendi notionem vindices, qua omnia plana fiunt. Ascensus in turres extrinsecus factus est, circa singulas turres per orbem ducens, nimirum ἀνάβασις viam significat, qua ascendi possit. Ceterum constat, saepenumero latius patere tale dicendi genus, et si interdum ducendi notio elucet clarius, alias tamen optime quadrare interpretationem Latinam „pertinere, tendere",



ut ἔχθρα ἔχουσα ἐς Ἀθηναίους Her. V. 81. τὰ ἐς τὴν ἀπόστασιν ἔχοντα VI, 2. Id tantum tenendum est, ducendi notionem et hunc usum complecti, quod denuo clare ostendit Herodotus VI, 19 τὸ μὲν ἐς αὐτοὺς τοὺς Ἀργείους φέρον, τὴν δὲ παρενθήκην ἔχρησε ἐς Μιλησίους. τὸ μέν νυν ἐς αὐτοὺς Ἀργείους ἔχον cet., ubi idem valere vides φέρον atque ἔχον.

§. 8. Liceat nunc ornare conamina mea Boppii auctoritate, qui ad coniecturam de FEX radice (vide supra not. 11.) omnino probatam haec addit (Vergl. Gram. p. 639.): Auch leuchtet die Bedeutung der Bewegung in den Zusammensetzungen ἀνέχω, διέχω, ἐνέχω u. a. noch deutlich genug durch; dann heifst die Skr. Wurzel *vah* auch *tragen*, von wo man leicht zu dem Begriff des Habens gelangt.

Ex tota commentatione intelligi puto notionum, de quibus adhuc egi, in verbo ἔχειν comprehensionem atque convenientiam. In eodem deinde consequentium notionum cum primaria vehendi inest coniunctio. Etenim quum portandi ac tenendi notiones aptissime inter se cohaereant, tantum quod non est una, novissima facile amplificata est, ut ἔχειν non modo significet firmiter tenere, continere, occupare, sed etiam detinere, abstinere. Restat, ut de habendi notione dicam. Primum id admoneo, Sanscritam linguam verbo carere, quod *habere* denotet, atque etiam Graecae linguae tale verbum olim defuisse, si quidem Fέχειν ab initio valuit vehere. Verbum substantivum cum dativo personae iunctum, ut *mihi est*, idem significabat, quod Latina lingua ha-

bere, quae et ipsa illum usum servavit. Deinde factum esse videtur, ut animus a corporum consuetudine magis sevocatus, habendi significationem dare desiderans, radicem assumserit, quae etsi maiore vi aliqua instructa, illi tamen accommodari posset. Et quidem Graeci radicem FEX, vehere, tali significatui adhibuerunt, raro autem synonymam radicem ΦΕΡ, ut Aesch. Choeph. 574 Ὑμῖν δ' ἐπαινῶ γλῶσσαν εὔφημον φέρειν. Sept. 604 σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει. Quae habendi significatio in φέρω congruit cum भृ (*bhṛi*) radicis Sanscritae usu Nal. XIII. 52 बिभर्षि परमं वपुः, fers i. e. habes eximium corpus. Quum autem verbum ἔχω, ad designandam habendi notionem usurpata, propriam vehendi portandique vim magis magisque desereret, etiam latius patere coepit, ut cum infinitivo valeat ἔχω λέγειν, habeo dicere, cum adverbiis ἔχει καλῶς, bene (se) habet, et in universum significet conditione aliqua uti.

### 3. VERBA CUM ἔχω PRAEPOSITIONIBUSQUE COMPOSITA.

Recensere composita quaedam verba nostri ἔχω in animo est, et ea quidem prae aliis elegi, quae aut a primaria notione essent, aut de ea disputandi praeberent copiam.

Ἀνέχειν. Omnium compositorum hoc verbum maxime ad primariam radicis vim refertur, denotat enim sursum ferre, tollere, Il. Υ, 278 ἀπὸ Fέθεν ἀσπίδ' ἀνέσχεν, quod bene explicat Hesychius: Ἀνέσχεν, ἄνω ἔσχεν, ἐπῆρεν, ὕψωσεν; Od. Δ, 115 χλαῖναν ἀνασχών; Il. Ζ, 257 χεῖρας ἀνασχεῖν; Χ, 80 μαζὸν ἀνέσχεν; translate Od. Τ, 111 εὐδικίας ἀνέχῃσι, iurisdictionem sustineat. 2) cohibere, ἵππους Il. Ψ, 426. 3) intrans. se extollere, oriri, ἀνέχειν τὸ ἀνατέλλειν τὸν ἥλιον ἢ τὴν σελήνην Lexic. Seg. p. 400 ed. Bekker. Med. ἀνέχεσθαι 1) sursum ferre, tollere, δούρατα Il. Ο, 298. Ρ, 234. σκῆπτρον Κ, 321. 2) sustinere, tolerare, κήδεα Σ, 430. κακά Ω, 518.

Ἀντέχειν. Schweighaeuserus in lexico suo Herodoteo male exorsus est a notione intransitiva, contra stare, resistere explicans, quae quin sit derivata, dubium non est. Passovius vero optimo iure transitivam in fronte collocavit, idemque invitis omnibus, quos inspexi, Herodoti interpretibus, huius auctoris verum sensum restituit in coniungendo ἀντέχειν τινί τι, einem etwas zur Genüge darbieten oder gewähren Her. VII. 58 Μέλανα ποταμὸν οὐκ ἀντισχόντα τότε τῇ στρατιῇ τὸ ῥέεθρον, ἀλλ' ἐπιλιπόντα. Quae explicatio maxime collatione probatur huiusce loci VII, 108 Λίσσος ποταμὸς διαῤῥέει, ὃς τότε οὐκ ἀντέσχε τὸ ὕδωρ παρέχων τῷ Ξέρξεω στρατῷ, ἀλλ' ἐπέλιπε. Itaque accusativus τὸ ῥέεθρον non pendet a tacito κατά (49), sed a verbis activis ἀντέχειν, ἐπιλείπειν atque ἀποχρᾶν. cf. VII. 43. 196.

Ἀπέχειν proxime accedit Latinum verbum avehere, significat enim 1) auferre Il. Ω, 19 τοῖο δ' Ἀπόλ-

(49) Wesselingius ad Herod. VII. 196. „Quod enim hic accessit τὸ ῥέεθρον, ex tacito κατά pendere, doctrina Porti est." Qua via trita incesserunt Schweighaeuserus, Gaisfordius, Behrius. Cf. Werfer. in Actis philol. Monac. I. p. 85.

λων πᾶσαν ἀεικείην ἄπεχε χροΐ ,,Apollo omnem turpitudinem ab illius (sc. Hectoris) corpore abstulit," quam infligi Iuppiter concesserat Il. X, 403. 404. Memoratu est dignus par usus radicis compositae Scr. अपवह् (*apavah*) Man. VIII, 414:

न स्वामिना निसृष्टो ऽपि भृद्रो दास्याद्विमुच्यते ।
निसर्गजं हि तत्तस्य कस्तस्मात्तदपोहति ॥

Ne dimissus quidem a domino servilis homo a servitio liberatur,
Natura enim hoc ei est ingenitum, quis ab illo hoc aufert?

2) Abigere *a*) capras, ut in illo Bacidis vaticinio Herod. VIII. 20:

Φράζεο, βαρβαρόφωνος ὅταν ζυγὸν εἰς ἅλα βάλλῃ
Βύβλινον, Εὐβοίης ἀπέχειν πολυμηκάδας αἶγας.

quod Euboei non curantes, nihil abstulerunt, ἐξεκομίσαντο οὐδέν (c. 20 initio).

*b*) Abigere navem Od. O, 33: ἀλλὰ Fεκὰς νήσων ἀπέχειν εὐεργέα νῆα. Nec vero Passovii explicatio ,,abhalten, entfernt halten" satis quadrat, quia motus inest verbo. Nam velut supra νῆα ἔχειν εἴς τι pro νῆα ἐλαύνειν poni vidimus, propellere navem, ita hic ἀπέχειν idem est atque ἀπελαύνειν, navem abigere procul ab insulis ne eas attingat, quod iam bene observat Eustathius (ad h. l.): Τὸ δὲ ἀπέχειν ἑκὰς νήσων ἐναντίον ἐστὶ τῷ προσέχειν, ἤτοι ἐλλιμενίζειν, ἐπεὶ καὶ ἐγγύτητα μὲν ἡ πρὸς πρόθεσις δηλοῖ, τὸ δὲ ἀνάπαλιν αὐτῆς ἡ ἀπό. Περιοδεῦσαι δὲ πλοῦν δηλοῖ καὶ μὴ κατευθὺ πλεῦσαι τὸ ἑκὰς ἀπέχειν τὴν νῆα. Rectius explicat Passovius entfernen Od. T, 572 ἥδε δὲ ἠὼς — ἣ μ' Ὀδυσῆος οἴκου ἀποσχήσει, nisi forte magis placet convertere: haec aurora, quae me ex Ulyssis domo depellet.



3) deportare, ut μισθόν, mercedem, quare is, qui μισθὸν ἀπέχει et μισθοφόρος idem est. Aliter Passovius: weghaben, quod de eo dicitur, qui iam deportavit.

4) abstinere, Aesch. Ag. 1096 ἄπεχε τῆς βοὸς τὸν ταῦρον; arcere, Il. Z, 96 αἴ κεν Τυδέος υἱὸν ἀπόσχῃ Ἰλίου ἱρῆς.

5) intrans. *a*) abstinere se, τινός, item med. — *b*) abesse, distare.

Διέχειν. Huius verbi notio activa, a Passovio neglecta, vindicanda est Herod. IX, 51, ubi sermo est de insula, quae abest ab Asopo et Gargaphie fonte decem stadia ante Plataeas. Νῆσος δὲ οὕτω ἂν εἴη ἐν ἠπείρῳ. σχιζόμενος ὁ ποταμὸς ἄνωθεν ἐκ τοῦ Κιθαιρῶνος ῥέει κάτω ἐς τὸ πέδιον, διέχων ἀπ' ἀλλήλων τὰ ῥέεθρα ὅσονπερ τρία στάδια, καὶ ἔπειτα συμμίσγει ἐς τωὐτό. οὔνομα δέ οἱ Ὠρωπός. Describitur quomodo flumen, cui nomen est Oëroë, insulam efficiat.(50) Nimirum finditur flumen, diducensque fluenta alterum ab altero circa tria stadia, commiscet illa in unum idemque. Sane grammatica ratio postulat, ut in διέχων

(50) Krusius, qui (Hellas II. p. 492.) geographorum, imprimis Barbiei du Bocage commenta refutavit, ipse erravit eo quod fluminis simul et insulae nomen esse Oëroën autumat. Herodotus vero insulae nomen non memorat, immo longus est: ἐς τὸν χῶρον τοῦτον, τὸν δὴ ἡ Ἀσωπὶς Ὠρωπὸν περισχίζεται. Indigenae autem Oëroën filiam Asopi tradiderunt, quorum utrumque nomen est fluminis alius.

vim activam intelligamus, quum ab illo pendeat accusativus τὰ ῥέεθρα. Indulsit sibi tamen Herodotus huic praemittere ἀπ' ἀλλήλων, quae verba quum ad τὰ ῥέεθρα referri debeant, lege postponenda sunt. Verumtamen sensus enuntiationis liquet, ,,flumen diducens fluenta alterum ab altero." Ad συμμίσγει autem cogitatione addas αὐτά, scil. τὰ ῥέεθρα. Itaque verbi διέχειν notio activa, quae insuper Hesychii glossa comprobatur: διέχει, παρακλίνει, διέλκει, lexicis est inserenda, a qua demum profectae sunt ceterae, a Passovio bene explicatae.

Ἐπέχειν. Homerus non solum ἔχειν pro ἐλαύνειν cum ἵππους coniungit, sed etiam ἐπέχειν ἵππους τινί i. e. ἐλαύνειν ἐπί τινι. Quod si Passovius (s. v. ἐπέχω) ita adhibitum allegat ad Il. II, 732:

αὐτὰρ ὁ Πατρόκλῳ ἔπεχε κρατερώνυχας ἵππους,

veram lectionem (51) agnoscit cum paraphraste, qui reddit: οὗτος δὲ ἐπὶ τῷ Πατρόκλῳ ἤλαυνε τοὺς ἰσχυρόποδας ἵππους. Praeterea conferre iuvat Il. E, 841:

αὐτίκ' ἐπ' Ἀρηϊ πρώτῳ ἔχε μώνυχας ἵππους.

At vero si Eustathius ad Od. γ. 1463 (citante Boeckhio ad Pind. Ol. II, 89.) allato usu Pindarico ἔπεχε σκοπῷ τόξον, addit: διὸ καὶ οὕτως οἰκεῖον ἐπὶ νηὸς τὸ ἔχειν καὶ τὸ ἐπέχειν, haec observatio in Herodotum potissimum cadit, qui utrumque verbum re vera ita adhibet. Primum quidem τὰς νέας ἔχειν ἰθύ τινος VI, 95 locutio est etiam Homero usitata, deinde ei simillima exstat II, 96: ταῦτα τὰ πλοῖα ἀνὰ μὲν τὸν ποταμὸν οὐ δύνανται πλέειν, ἢν μὴ λαμπρὸς ἄνεμος ἐπέχῃ, ἐκ γῆς δὲ παρέλκεται. ,,Haec navigia adverso flumine navigare nequeunt, nisi luculentus ventus ea propellat, de terra vero trahuntur." Schneiderus in lexico Graeco (edit. 3.) s. v. ἐπέχω, verba, de quibus agimus, sic interpretatur: wenn nicht ein starker Wind darauf stöfst, sed malim distinctius: wenn nicht ein st. W. sie forttreibt. Contra ea Passovius male est secutus Schweighaeuserum, qui in lexico Herodoteo obtinere, locum habere verbi ἐπέχειν sensum esse voluit ratione nulla reddita. Quod vero omissum accusativum αὐτά attinet, qui suppleri debet ad ἐπέχῃ, saepissime idem observamus apud Herodotum, atque etiam ad συμμίσγει supra notavimus.

(51) Neque enim est, quo altera ἔφεπε defendatur.



Ceterum ἐπέχειν ad vehendi notionem eo vel maxime refertur, quod luculenter denotat afferre, praebere, ut κοτύλην (pocillum) Il. X, 494, οἶνον I, 489, eumque sensum Hesychius egregie confirmat ἐπισχών, προσάγων. De eiusdem glossa: ἐπεχθισμένου, βάρος βαστάζοντος vide supra p. 25.

Ne multa. Valet primaria radicis notio in παρέχω, προσέχω, ὑπέχω, quippe quae varias tantum in afferendo directiones praepositionibus distinctas exhibeant, afferendi autem notionem communem habeant. Postremum ad rationem bene revocat Hesychius in glossa: ὕπεχε, ὑπόφερε, πάρεχε, ὑπόμενε. Cf. Eustath. ad Il. E, 269.

---

Quoniam igitur commentationem ad eum finem perduxisse mihi videor, ut primaria verbi ἔχειν notio

eluceat, reliquas, quas attigi, diverso ordine disponendas esse atque adhuc lexicographis placuit, non minus probatum esse puto. Igitur vehendi significationem esse primam, docet linguarum cognatarum consensus, quae parum mutabilem eam servarunt, dum Graecis est admodum flexibilis; accedit quod vehendi significatio, et quae huic sunt proximae, in antiquissimis linguae monumentis occurrunt, confirmant nomina pleraque ex eadem radice formata, denique vel maxime probat ea causa, quod vehendi notio sola ceteras derivatas omnes inter se conciliat. Restat ut conspectum praebeamus significationum secundum eum ordinem, quo altera ex altera deducenda est.

Radix FEX

transitive — Fέχειν, ἔχειν — denotat:

1) Vehere *a*) trahere *b*) portare, gestare, sustinere.
2) Agere, propellere — *νέας, ἵππους.*
3) Ducere, *γυναῖκα* sc. domum.
4) Afferre, causam esse rei, excitare — *ὠδῖνας.*
5) Tenere *a*) firmiter tenere *b*) cum *ἀμφίς*, separatum tenere, distinere *c*) abstinere, arcere, cohibere.
6) Occupare — *δώματα Ὀλύμπια — ὕπνος ἔχει αὐτόν.*
7) Habere *a*) possidere rem, instructum esse re, *τί b*) callere, intelligere — *τέχνην c*) scire, posse, cum infinit.

intransitive:

1) ducere, tendere, *ὕψοσε*, pertinere, referri aliquo, — c. praep. *εἰς, ἐπί, πρός τι.*



2) Se gerere, se habere, conditione aliqua uti, c. adverbiis.

passive — *ἔχεσθαι* —: vehi, duci, teneri, occupari, haberi.

sensu medio:

*a*) e re deduci, contiguum esse, adhaerere rei, *τινός.*
*b*) se continere, se abstinere, *τινός.*

## DE VERBI ΚΤΕΙΝΩ RADICE.

Verba *κτείνω, κτίνυμι, κτείνυμι* et Homericum *κτάμεναι* cum stirpibus *κτεν, κτι, κτα* ab una eademque radice profecta sunt (Buttm. Gr. Gr. ampl. II. p. 174. 175.), quae *κτ* literis tantum syncopae instar inesse potest, eaque repetenda a nomine *κότος*. Ad necandi notionem enim una referuntur *φθόνος*, invidia, cuius radix ΦΕΝ potius quam ΠΑΘ est statuenda (1), et *κότος*, simultas, ira, unde rursus *παλίγκοτος*, infestus, inimicus. Item Sanscrite शत्रु: (*çatru-s*), vulgo inimicus, a necando probabiliter est vocatus. Quum enim Indras deus, Vritrae occisor, et वृत्रशत्रु: (*Vṛitraçatru-s*), et वृत्रहा (*Vṛitrahá*) appelletur, deinde

(1) Unde quidem syncope ΦΘ existit, sed stirpem *φθεν* supponere non tam placet, quam *ἄφθονος* et *ἀφνειός* synonyma (is cui valde invidetur, fortunatus) explicationi adhibere, quorum quum posterius ex *ἄφενος* derivatum appareat, ambo ad ΦΕΝ radicem reduci queunt, siquidem dentalis voci *ἄφθονος* inserta est perinde atque in *πτόλις* pro *πόλις.*

planta quaedam medicinalis प्लीहशत्रु: (*plîhaçatru-s*), eademque प्लीहघ्न: (*plîhaghna-s*), splenis occisor, vocetur, हन् (*han*), necare, et शत् (*çat*) radices esse synonymas colligi potest. Porro ad hancce prae aliis pertinent vocabula शतेर: (*çatêra-s*), 1) inimicus, 2) iniuria (Wilson.), et शातनं (*çâtana-m*), marcor. Quoniam igitur शत् (*çat*) radix in istis nominibus conspicua, perdendi admodum significationem dat, certe ei aequiparanda est Graeca ΚΑΤ sive ΚΕΤ, ex qua promte iam explicari possunt non solum *κότος*, cf. *βόλος* a ΒΑΛ rad., sed omnia verba illa per syncopen formata. Homerus *κατακτανέουσιν* Il. Z, 409. *κατακτάμενος* Od. Π, 106. exhibet itidem e ΚΤ syncope nata, ut *ἀποπτανέουσιν* Il. Ξ, 101. *ἀποπτάμενος* Β, 71. e ΠΤ syncope radicis ΠΕΤ, volare. Ad *κτα* stirpem altera *κτι* accedit, ubi *ι* vocalis syncopae est addita aeque atque in *φθι* (*φθίω*, *φθίνω*, *φθινύθω* vide p. 13.), eademque producta modo in *κτείνυμι*. Denique *κτείνω* (*κτεν*) cum ampliore Homeri altera forma *κτανέω* satis eo cohaeret, quod illud ipsum aoristo *ἔκτανον* utitur. (2)

(2) Benfeyus (Griech. Wurzellex. p. 175. 179.) क्षि (*kshi*) et क्षण् (*kshaṇ*) radices ad *κτι* et *κτεν* stirpes contulit, quasi affixum *το* in *ἄρκτο*, Indis vero स (*sa*) in ऋक्ष (*riksha*), argumento esset, *τ* etiam in radicibus Sanscrito स् (*s*) respondere, quod plane est improbandum.



## DE VOCABULIS 'AMOTON, 'EMMOTON.

Ἄμοτον vocabulum Homericum per *ἀπλήρωτον* interpretantur veteres, Apollonius sophista, Hesychius atque paraphrastes Iliadis, hic insuper *ἀκορέστως* (Il. N, 40.) sicut Suidas, quibus *α* privativum constat. Originationem vocabuli tentavit Eustathius ad Od. Z, 83: Ἄμοτον δὲ ὅτι τὸ ἐντελὲς κυρίως καὶ πληρώτατον ἐκ μεταφορᾶς σωμάτων ἢ τραυμάτων μὴ δεομένων μοτοῦ, καὶ ἐν ἄλλοις ἐῤῥέθη. Quae quum longius sit petita, neque *μοτοῦ*, linteolae carptae, ullum apud Homerum sit indicium, praestat altera originatio ab Etymologo prolata s. v. *ἄμοτον*: ἴσως ἀπὸ τοῦ μετρῶ, ἄμετρον καὶ ἄμοτον, quae tamen rationibus grammaticis magis est excutienda. Primum vero videamus, an e contextu apud Homerum liceat *ἄμοτον* explicare immensum. Coniunguntur verba haecce: *ἠμίονοι ἄμοτον τανύοντο* Od. Z, 83. *τοῦ δ' ἄμοτον μεμάασιν ἀκουέμεν* P, 520. *ἄμοτον μεμαώς* Il. Δ, 440. E, 518. N, 40. 80. X, 36., ubi iam ,,immensum contendere, petere" sensus probatu est facilis, nec minus *τῷ σ' ἄμοτον κλαίω* T, 300. „idcirco immensum te defleo," *ἄμοτον κεχολωμένος*, Ψ, 567. „immensum iratus." Apprime convenit locutio persimilis: *πένθος ἀμέτρητον* Od. T, 512. *ἀμέτρητος πόνος* Ψ, 249. Illud *ἄμοτον* vero Homero adverbii loco, adiectivum neutrius generis est singulari loco apud Moschum Id. 4, 104 *πῦρ ἄμοτον*, ignis immensus. Cf. *ἶς ἀπέλεθρος* Il. H, 269., vis immensa; Ἕκτωρ δ' οὔκ' ἀπέλεθρον ἀνέδραμε Λ, 354., Hector cito immensum recurrit.

Sensu stabilito ad grammaticam explicationem veniamus. Μέτρον, cui τρον syllaba affixa instrumenti est indicium, et μοτόν ab una radice esse profecta, quatenus ε et ο vocalibus variant, tuentur ea, quae δι syllabam insertam habent, vocabula μέδιμνος, proprie mensuratus, (1) et μόδιος (Pott, Etym. F. I. p.195), nec minus Latina *metari*, *metiri*, *modus* alia. Atque Sanscritis quidem radicibus in longum *a* desinentibus Graecae respondent modo cum ε finali, धा (*dhá*), ΘΕ (τίθημι), modo cum ο, दा (*dá*), ΔΟ (δίδωμι), पा (*pá*), ΠΟ (πέπωκα). Ex hac igitur analogia MO radix ad मा (*má*), metiri, refertur; quin Graeca lingua participia δοτός, ποτός, μοτός aequabilius formavit, quam Sanscrita, quae hisce utitur participiis: दत्त (*datta*), पीत (*pîta*), मित (*mita*), atque Latina, quae vocalibus maxime variat partim correptis partim productis: *dătus*, *pôtus*, *mêta*. (2)

Igitur ἄμοτον, *immensum*, अमितं (*amita-m*) sensu

(1) Manifeste enim μνος participii passivi est terminatio e μενος correpta, velut in Latino *alumnus*, is qui alitur.

(2) Metas in curriculi finibus positas ab emetiendo spatio esse vocatas, maxime est probabile. Nam verbo *metari* subest *meta* stirps, quemadmodum *metiri* quoque verbum denominativum esse apparet, ut *metis* supponas olim viguisse. Cf. vestis vestio, partis partior, mentis mentior. Et *mêtis* istud nomen suppositicium forte congruit cum Graeco μῆτις, ratiocinatio, prudentia, consilium. In quo quum elisi ν nec sit ullum indicium, nec ratio reddi possit, quumque significatio ratiocinandi ad metiendi notionem nullo negotio referatur, μῆτις a MA sive ME radice potius quam a MEN est profectum. Verumtamen Latinum *ment*, nomin. *mens*, aeque ad MEN pertinet, atque Scr. मति (*mati*) ad मन् (*man*).



nihil differunt, neque opus est de Sanscrito vocabulo exempla multa afferre. En pauca tantum, Ramay. I. 5, 1 (ed. A. G. a Schlegel.) राज्ञाम् अमिततेजसाम्, Βασιλέων ἄμοτον ἀκμαζόντων. cf. I. 16, 18 अप्रमेयबला वानराः, simii immenso robore praediti. —

Lassen. Anthol. Sanscr. p. 32.

मितं ददाति हि पिता मितं भ्राता मितं सुतः ।
अमितस्य तु दातारं भर्तारं का न पूजयेत् ॥

Demensum dat pater, demensum frater, demensum filius,
Immensi vero datorem maritum quae (uxor) non coleret?

Idem participium μοτόν praepositione ἐν compositum exstat singulari loco apud Aeschyl. Choëph. 459-64:

Ὦ πόνος ἐγγενής,
Καὶ παράμουσος ἄτης
Αἱματόεσσα πλαγά.
Ἰὼ δύστον' ἄφερτα κήδη·
Ἰὼ δυσκατάπαυστον ἄλγος
Δώμασιν ἔμμοτον.

Merito interpretes Hesychii glossam ἔμμοτος, τραυματίας, νοσώδης huic versui adhibere dubitarunt, quum, etsi glossa per se non est suspecta (3), hic tamen „aerumna ulcere laborans" metaphora sit, qua nihil potest dici ineptius. Nec vero ἔμμοτον ulla corre-

(3) Μοτός, linteum, et frequentius ad medicorum usum linteola carpta (ap. Hippocratem), ulceri infarcienda, unde is qui ulcere laborabat ἔμμοτος dicebatur. Illud ipsum nomen μοτός ad metiendi notionem pertinere potest, ut sit mensuratum, vel mensura factum.

ctione indiget. Nam conferentes ἄμοτον et ἔμμοτον differre tantum syllaba praefixa cernimus, quae in altero est α privativum, in altero ἐν praepositio, deinde verbis coniunctis Ἄλγος δώμασιν ἔμμοτον sensus satis expeditus hic erit: aerumna aedibus demensa, dem Hause zugemessenes Leid. Attamen Wellauerus aliam explicationem proposuit dicens: ,,verba δώμασιν ἔμμοτον ad sequentia pertinere et stropharum ordo et sensus docet.'' Quum enim a δώμασιν antistropha incipiat, interpungit post ἄλγος. Sed talem stropharum distinctionem necessariam esse, Wellauerus non probat, immo vero ipse eam deserit Suppl. 589, ubi strophae finem:

τὸ πᾶν μῆχαρ οὔριος Ζεύς,

antistropha excipit

ὑπ' ἀρχὰς δ' οὔτινος θοάζων.

Continuatur sententia et propter θοάζων, quod ad Ζεύς refertur, hic commate tantum strophas bene distinguit Wellauerus. Neque fortius distinguere debebat strophas istas in Choëphoris, nisi forte sensum melius indagavit. Postquam virgines exclamarunt:

ἰὼ δύστον' ἄφερτα κήδη·
ἰὼ δυσκατάπαυστον ἄλγος.

eas sic pergere facit Wellauerus:

Δώμασιν ἔμμοτον
Τῶν δ' ἐκὰς οὐδ' ἀπ' ἄλλων
Ἔκτοθεν, ἀλλ' ἀπ' αὐτῶν,
Διώκειν ἔριν αἱματηράν.

,,Aedibus remedium est, non procul ab his, neque



ab aliis extrinsecus petendum, sed ab ipsis proficiscens, ut se persequantur sanguinolentam rixam.'' Si serio ita dictum acciperes, infestissimas illas esse Tantalidarum domui concludere posses, quod est absurdum. Sin vero ad ironiam confugeres, talis profecto acerbior est, quam ut eaedem virgines statim ad deos se convertant precantes:

πέμπετ' ἀρωγὴν
παισὶν προφρόνως ἐπὶ νίκην.

Ergo contextus obstat Wellaueri distinctioni, ut mittam, quod idem ἔμμοτον significatione remedii assumpsit audacius.

Sed quoniam stropharum ordo non prohibet, quominus coniungamus ἰὼ δυσκατάπαυστον ἄλγος δώμασιν ἔμμοτον, quumque hic esse interpungendum sequens δὲ declaret (τῶν δ' ἐκὰς οὐδ' ἀπ' ἄλλων cet.), ἔμμοτον ad ἄλγος referri debet, sensus autem ,,aerumna aedibus demensa'' cum toto querelae tenore conspirat. Unde exorsa est querela (ὦ πόνος ἐγγενής), eodem revertitur, sed copiosius fusa: O aerumna aegre sedanda, aedibus demensa.

## DE RADICE ΜΑΘ.

Dum radix ΜΑΘ ore Graeco maxime viget, Sanscritae linguae superest nomen tantum मेधा (*mêdhâ*) f. intellectus, pro quo ad adiectiva formanda neutrius generis forma substituitur. Pariter enim Graeca adiectiva ἀμαθής, δυσμαθής, εὐμαθής ad nomen μάθος

(Aeschyl. Ag. 170.), atque Sanscrita अमेधस् (*amêdhas*), दुर्मेधस् (*durmêdhas*), सुमेधस् (*sumêdhas*), ad मेधस् (*mêdhas*) referuntur. At vero nomina तेजस् (*têg'as*), acies, splendor, a rad. तिज् (*tig'*), acuere, et ओजस् (*óg'as*), vigor, splendor, a rad. उज् (*ug'*), vigere (1), indicio sunt, etiam मेधस् a मिध् (*midh*) potius quam मेध् (*mêdh*) radice esse profectum, monente iam Boppio vergl. Gr. p. 129. Nudis igitur radicibus Sanscr. मिध् (*midh*), तिज् (*tig'*), उज् (*ug'*) Graecae respondent ΜΑΘ, ΘΑΓ (2), ϜΓ (3), quarum

(1) Lassen. Anthol. Sanscr. p. 189.

(2) Quae radix, producta quidem in ϑήγω praesenti, genuina conspicitur in Hesychii glossa ϑαγῇ, ἥξεις, ab Hemsterhusio optime emendata in ϑήξεις. „Quid si ϑήξεις, ait ille, quo modo saltem analogiae consuletur, quae nulla apparet in ἥξεις, Θάγω, ϑαγῶ, ϑαγοῦμαι, ϑαγῇ, ϑαγεῖται." Est enim ϑαγῇ fut. 2. med., quod si Buttmannus formari dicit: nach Verkürzung der Stammsilbe (Gr. Gr. ampl. §. 95. 11.), inverso modo explicari debet, nimirum apparere in fut. 2. med. genuinam radicem velut in μαθεῦμαι (ibid. ann. 19.) radicem ΜΑΘ. De aspirata radicis ΘΑΓ pro tenui vide supra p. 15. annot. 19. Adde Φιάλη, patera, a rad. III, bibere. Porro ad r. ΘΑΓ ex Hesychio affero: ϑάξαι, μεϑῦσαι; — τεϑαγμένοι, μεμεϑυσμένοι, — τέϑαξαι, μέϑυσαι (malim μεμέϑυσαι); — ϑαχϑῆναι (ita leg. pro ϑαχμῆναι), ϑωρηχϑῆναι· Δωριεῖς. Significatio translata communis est verbo ϑήγειν cum ϑώσσειν et ϑωρήσσειν pro εὐωχεῖσϑαι; Passovius: sich einen Panzer trinken, wie der Deutsche sich einen Haarbeutel trinkt. Quibus nunc iam addi potest, literarum studiosos in Germania facile agnoscere, ipsorum vocabulum *bespitzt* et τεϑαγμένος apud Graecos significatione nihil differre.

(3) Vulgo ὑγιαίνω, vigere, valere, quod verbum vocalem *ι* habet insertam. Nam ὑγεία et ὑγεινός ad thema ὑγες respiciunt, ut ὑγίεια et ὑγιεινός ad ὑγιες (ὑγιής). Benfeyus p. 437 perperam



duae priores *α* vocalem loco Sanscritae *i* exhibent. Quum autem tres istae radices Sanscritae coniugationis classi primae adscribantur, plerumque eae adauctae apparent, quo factum est, ut grammatici non semper primariam radicis formam statuerent.

Iam vero मेध् (*mêdh*) secundum Wilsonium et Lassenium (Anthol. Scr. p. 294.) intelligere denotat, (4) perinde atque radix Graeca ΜΑΘ (cf. Wellauer. Lexic. Aeschyl. s. v. μανϑάνειν, imprimis Kühner. Gr. Gr. ampl. §. 528.). Ex qua notione explicanda sunt nomina: Προμηϑεύς, is, qui ante intelligit, quae sint eventura, atque προμήϑεια, providentia, tum Ἐπιμηϑεύς, is qui intelligit illud, quod iam actum est. Cf. Welckeri clarum opus: Die Äschylische Trilogie Prometheus p. 19. 20. 68.

## DE RADICE NIZ SIVE NIB.

Homeri atque Hesiodi verbum *νίζω*, lavo, pleraque tempora e radice NIB format, ut *νίψω*, *νίψα*-

huic radici comparavit स्वच्छ (*svak'k'ha*), purus, sanus, quia, si demis सु (*su*) particulam, quae Graecis est εὖ, radix अच्छ् (*ak'h*) remanet Graecae ϜΓ ne una quidem litera respondens; at recte tamen αὐγή ad ओजस् (*óg'as*), splendor, rettulit (p. 148.).

(4) Benfeyus p. 258. मिथ् (*mith*) vel मेथ् (*mêth*) et ΜΑΘ radicum collationem non esse a dubitatione liberam ipse sensit, quum थ् (*th*) literae *τ* potius quam ϑ respondeat. p. 257. Rosenius Vopadevae interpretamentum मेधायां ad r. मिथ् et मेथ् reddidit discere, attamen s. r. मेध् eiusdem explicationem वधमेधसंगेषु prorsus neglexit.

σθαι, quippe quae conspicua sit in acc. nominum χέρνιβα, „aquam ad manus lavandas," et νίβα, *nivem* (Hesych.) (1). Eadem ζ et β literarum commutatio causa est bifidae alterius radicis, ZAF (ζάω) et BIF (βιόω) formis ad rad. Scr. जीव् (*g'îv*), vivere, conferendae (2), quare, si unam statuere licet Graecam, eam ZIF proposuerim. Simillime radix NIZ alteraque forma NIB ad rad. Scr. निज् (*nig'*), lavare, re-

(1) Labialem aspiratam cernis quum in νίφα Hesiod. Op. 533., tum in νιφάς et νίφεσθαι, ningere.

(2) Bopp. vergl. Gr. p. 128. Iam Buttmannus ex sueto ingenii sui acumine verba ζῆν et βιῶναι eiusdem esse radicis coniecit Gr. Gr. ampl. II. p. 145. not. **). Utrique autem radicis formae digamma vindicari debet nominum ζωή et βίος ratione habita. Nam pleraque nomina, quae ante terminationes ος, η, ον vocalem ostendunt, inter duas vocales digamma olim habuisse, linguae cognatae exemplis declarant. Νέος, नवः (*nava-s*), *novus*, δῖος, देवः (*dêva-s*), *divus*, ζέα, यवः (*yava-s*), hordeum, ὄγδοος, *octavus*, ᾠόν, *ovum*, ῥόος, स्रवः (*srava-s*), *rivus*, πλόος, प्लवः (*plava-s*), Πειρίθοος, prima syllaba epice producta pro Περίθοος, परिधावन् (*paridhâvan*) Nal. X, 18. circumcurrens, ξόος (ξόFος) propter ξυρόν, क्षुरः (*kshura-s*), novacula, cf. Benfey p. 171., iamque analogiae causa νόος pro νόFος. Item βίος, जीवः (*g'îva-s*), ex Polonorum lingua *z'ywót* (cf. βίοτος), ζωή, जीवा (*g'îvâ*), ζωός, adj. *vivus*. Accedit quod Homerus ac Pindarus verbum ζώειν per varias temporum formas rarissime contrahunt, unde iterum digammatis vim colligas. Itaque rad. ZΩF vel ZAF pro ZIF ad rad. Scr. जीव् (*g'îv*) referuntur, ut supra ΜΑΘ et ΘΑΓ ad मिध् (*midh*) et तिज् (*tig'*) p. 54. Radix verbalis BIF servata est in hymn. Hom. in Ap. 528 βιόμεσθα, eademque producta in Hesychii glossis: βείη, βείομαι, βείωμεν. Cf. Buttm. Gr. Gr. ampl. II. p. 89. s. v. βέομαι. At vulgare βιόω est verbum denominativum a βίος.



feruntur (3), de qua exemplum afferam a Rosenio omissum (rad. Sanscr. p. 116.). Legitur id quidem in Manuis legibus VIII. 396:

नेनिज्यान्नेजकः शनैः । (*nênig'yan-nêg'aka-s çanai-s*)
न च वासांसि वासोभिर्निर्हरेत् (*na k'a vásánsi vásóbhir nirharêt*).

Lavet purgator pedetentim,
Neve vestes vestibus permutet.

Adde nomen actionis cum praepositione अव (*ava*) compositum Man. II. 209 पादयोश्चावनेजनम् (*pâdayóç-*

(3) B et ζ literarum commutatio linguae Graecae propria notari meretur etiam in vocabulis hisce 1) Eustathio teste (ad Od. M, 94.) Macedones ζέρεθρον dicebant pro βέρεθρον, *vorago*, atque etiam Hesychius explicat: Ζέρεθρα, βάραθρα, κοῖλοι τόποι. Non modo ad huiusmodi significationem quadrat adiect. Scr. जर्जरीक (*g'arg'arîka*), foraminosus, nomenque जर्तु (*g'artu*), vulva, sed etiam literae palatali ज् (*g'*) identidem Graece ζ simulque β, et Latine *v* respondere vides. 2) Talis responsionis observatione ad primariam radicis BAA (βάλλω) formam inveniendam via paratur. Possis utique conferre rad. Lat. *VEL*, velare (si proprie valeat circumiicere) et r. Scr. जल् (*g'al*) tegere, velare, secundum Wilsonium (to cover, to hide or veil). Equidem hoc indico propter alteram radicis formam ZEΛ, quoniam Hesychius explicat ζέλλειν per βάλλειν, ἐζελεν - ἔβαλεν, et Etym. M. ζέλλω τὸ βάλλω, ἐξ οὗ ζέλλει τὸ βάλλει, sed negari non potest, radices illas e cognatis linguis allatas multo magis literarum permutatione cum r. BAA vel ZEΛ connecti, quam significationum inter radices istas rationem reddi. Verumtamen *velites*, qui leviter armati sicut funditores et sagittarii extra aciem erant collocati, iaculatores significare dixerim. 3) Insuper ζ et β simul gutturali mediae respondent, etenim ad unam radicem pertinet BAP — βαρύς, गुरुः (*guru-s*), gravis — et ZAP in compos. ἐπεζάρει i. e. ἐπεβάρει Eurip. Phoen. 45.

*k'a avanêg'anam*) „pedumque ablutio." Graece eodem sensu adhibetur *ἀπονίζειν*. Od. Ψ, 75. De coniugatione radicis निज् (*nig'*) vide Bopp. gr. Scr. min. §. 336. Wilkins, Sanscr. gram. p. 208.

Iam vero quum palatales literas e gutturalibus esse ortas docuerit Boppius vgl. Gr. p. 13., ac propterea vulgari निज् (*nig'*) antiquiorem statum निग् (*nig*) accipi liceat, ad eiusmodi formam verbum Graecum vel maxime referri debet. Nam *νίζω* atque Aeolicum *νίσσω*, quae ex NIB explicari nequeunt, e NIΓ formata esse demonstratur hacce analogia. Comparativos *μέζων*, *ὀλίζων* pro *μεγίων*, *ὀλιγίων* esse positos ex *ίων*, vera comparativi terminatione, intelligimus, eademque ratione de *ἄζομαι* Scr. यज् (*yag'*), propter *ἁγνός*, *ἅγιος* ad r. ΑΓ, de *ῥέζω* Scr. रज् (*rag'*) coloro, propter *ῥέγος*, रजस् (*rag'as*), color, ad r. ΡΕΓ pervenimus. Hinc iam patet *νίζω* e *νίγjω* esse explicandum, siquidem Boppius literae *ι* tamquam semivocalis (*j*) indicia ingeniose persecutus est vgl. Gr. p. 724. Deinde considerantibus verbum *νίσσω* nobis offertur *πάσσαλος*, *paxillus*, quod, ut *πάσσων* e *παχίων*, sic e *παγίαλος* natum non haesitanter dixerim, quum radix manifesto sit ΠΑΓ (*πηγνύναι*), *pangere*. Ita rursus *τάσσω* pro *τάγjω* a r. ΤΑΓ, quod iam Boppius ad rationem revocavit l. c., unaque illud *νίσσω* pro *νίγjω* esse positum eoque ipso ad r. NIΓ referri intelligitur. Huic antiquiori formae etiam convenit Latinum verbum *ningo*, cui nasalis altera est inserta, deinceps vero nomen *nix* e *nig* et *s* affixo coaluisse consequitur.



Attamen Graece post illam longe praevaluit altera forma NIB, quae eo usu nititur, quo lingua Graeca gutturales literas quam maxime in labiales convertit. Et ab ea radicis forma sola profecta sunt nomina: *νίμμα* vel *νίπτρον*, lavacrum, *ποδάνιπτρον*, aqua ad pedes lavandos, *χέρνιψ* (gen. *-νιβος*), aqua ad manus lavandas.

## THESES.

1. Lexicon cuiusvis linguae ad artem et praecepta revocatum nonnisi etymologicum est, in quo omnia vocabula radicum ordine sunt disponenda, ut suae quodque radici sit subiectum.
2. Vocabula *ἐξ*, *σχεδόν*, *ἔσχατος* cum verbo *ἔχω* ab eadem radice profecta sunt.
3. In docenda coniugatione Graeca a verbis in *μι* exordium capi debet.
4. Probabile est, Graecos *ζ* literam aeque pronuntiasse, atque Itali etiamnunc *g* literam ante *e* et *i* vocales proferunt.
5. Apud Graecos olim fuerunt ordines variis negotiis distincti atque separati, ad instar eorum, quos apud Indos Lusitano nomine castas appellare solemus.

# VITA.

Ego Martinus Iosephus Savelsberg natus sum Aquisgrani anno 1814 Petro Iosepho et Catharina e gente Iungen parentibus, quos vivos adhuc pio animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus gymnasium, quod in urbe patria Schoenio floret rectore, per sex annos frequentavi. Unde maturitatis testimonio dimissus almam literarum universitatem Rhenanam petii eo quidem consilio, ut literis sacris me dicarem.

Bonnae a rectore magnifico Freytagio civibus academicis adscriptus apud Achterfeldtium, ordinis theologorum catholicorum decanum spectabilem, nomen professus sum. Interfui igitur lectionibus theologicis Virorum S. VV. Hilgersii, Scholzii, Braunii, Kleeii. Sed literae orientales in dies magis magisque me alliciebant. Quum enim statim ab initio maxime literis Hebraeis incumberem, linguam Arabicam non potui quin addiscerem, cuius elementa me docuit Freytagius V. Ill., idemque in libro Ebn-Arabschahi, qui inscribitur Fakihat-Alcholafah, interpretando me informavit, mox vero Iesaiae, Hiobi, psalmorum libros interpretans me habuit assidue auscultantem. Neque omisi adire scholas apud Redepenningium V. S. V. Syriacas, Chaldaicas apud Bleekium V. S. V. Eodem fere tempore quum etiam linguae Sanscritae vacarem, cuius elementa me docuerat Lassenius V. Cl., scholas A. W. a Schlegelii V. Ill. frequentavi, ex quo literae Indicae in deliciis mihi esse coeperunt. Ita factum est, ut biennio iam peracto in album ordinis philosophorum Freytagio decano spectabili me inscribendum curarem. De logice atque psychologia van Calker V. Ill. iam audiveram. *Philologicis* autem lectionibus interfui hisce: Naekii V. Ill. beatae memoriae, de Iliade, de Aeschyli Persis; Welckeri V. Ill. de arte antiqua, de mythologia, Ritschelii V. Ill. de Aeschyli fabula „Septem ad Thebas", de Horatii carminibus, de antiquitatibus Romanis, Ritteri V. Cl. de arte metrica; *historicis* Loebellii V. Cl. de medio aevo. De chemia Bergemannum V. Cl. disserentem audivi. Lassenium V. Cl. deinceps, qui linguae Persicae elementa me docuit, grammaticam comparativam et antiquitates Indicas docentem attente auscultavi. Diezii V. Ill. scholis Lusitanis, Hispanicis, Italicis interfui. Tandem Brandisium ex itinere reducem de philosophiae historia audivi. Iam vero cursu studiorum, quae colenda Bonnae mihi proposueram, peracto, alma mihi fortuna contigit huncce universitatem Fridericam Guilelmam visendi, ubi per tria semestria Boeckhium V. Ill. de arte metrica ac de Pindaro, Lachmannum V. Ill. de vetere Germanorum lingua, Rankium V. Ill. de Germanorum historia, Boppium V. Ill. de etymologia linguarum antiquarum, atque Panofkam V. Cl. de monumentis artis antiquae disserentes audivi.

Quibus viris illustrissimis, summe de me meritis, propter tot tantaque beneficia in me collata perpetuo me obstrictum penitusque convinctum declaro, gratias quam possum maximas summa cum reverentia ago semperque habebo.